AXIOMATA PHILOSOPHICO-THEOLOGICA:

VITAM VERE PHILOsophicam utcunq; adumbrantia.

IN GRATIAM PROphanorum Politicorum Seculi nostri, in hanc collecta formam;

à

CHRISTOPHORO BESOLDO. IC.



ARGENTORATI.
Impensis LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XVI.

Iust. Lipſ. 1. ad Belg. epiſt. 38.

SUnt brevia multa; fateor: ſed ea me capiunt; & amo hæc Monita talia eſſe, ſicut Leges & ſanctiones quaſdam Vitæ.

IOH- V ALEN-tine Andreæ, amicorum oculißime, V. Reverende.

NON Patronũ huic opuſculo debui quærere; utpotè cùm vel Divini Verbi, vel Sanctorum Patrum, ſaniorumq́; Philoſophorum contineat flores. Et nec eſt in Mundo, harum qui meditationum inimicos coërcere poſſit: cùm Mundus ipſe, Mundique hujus Princeps iis nunquàm non reſiſtat. Hîc in frontiſpicio tamẽ amicitiam

noſtram teſtatam facere; ac Te, tuique ſimiles, id eſt, candidos, & ex charitate judicantes, denuò volui obteſtarier. ut ſicubi, vel ſublimem hujus Philoſophiæ ſenſum non ſum aſſecutus; vel hi floſculi â meâ manu ſunt forſan in decerpendo commaculati; Cenſurâ in me uti velitis Chriſtianâ, non Catonianâ. V.

A T S † C T C.

DE vitâ Devotâ ſcribo quidem non devotus; non tamen ſine deſiderio devotionis. Peccator ſum illo publicano major: & tamen ſcio majorem quàm quæ eſt apud eos, qui mundo Sancti videntur, in homine Chriſtiano requiri devotionem: & aliam eſſe Sapientiam præter eam, quâ nunc multi turgent. Veræ ſapientiæ, nec vanæ Devotionis tramitem hîc ſatago monſtrare. Interim nec ipſe ſatis percipio multa quæ dico, vel non in operibus, & vitâ monſtro: ſed cum Adoleſcente Matth.9. *tri-*

ſtis & turbatus revertor : non ſpem aliam habens ullam præterquàm in eo, qui venit implere Legem, & nos ab eius maledictione liberare. Sequentes porrò Regulæ, non tanquàm artis cujusdam præcepta ſuſcipi debent. Non eſt enim gratia in artem redigenda, & præceptis includenda, humanæq; diligentiæ attribuenda, quæ ſunt pura DEI dona. Quare monita hæc atque documẽta amplectenda ſunt, non tanquàm dependentia ab arte, ſed velut gratiæ inſtrumenta: ut is qui ea ſic aſſumpſerit, ſciat principale medium ad ſcopum hunc conſequendum eſſe; profundam humilitatem, & propriæ miſeriæ ac vilitatis agnitionem, cum magnâ confidentiâ in miſericordiâ Dei.

Devotio, est promptitudo quædam animi, & facilitas ad benè agendum. Est virtus, hominem expeditum & promptum, ad omnia virtutum officia reddens. 1

Devotio nihil aliud est, quam agilitas quædam, & alacritas Spiritualis, per quam suas in nobis Charitas operatur actiones; seu per quam nobis datur promptitudo & affectio easdem exequendi. Et sicut Charitatis officium est, ut de mandatis Dei generaliter & universaliter implendis nos moneat: sic Devotionis munus est, ut nos ad illa promptè & diligenter perficienda impellat. 2

Charitas & Devotio, non plus inter se, quàm Flamma & Ignis differunt. Charitas ignis Spiritualis est; ea cum valdè inflammatur, Devotio dici potest. 3

Illa gratia DEI, quæ in Animâ nostrâ est; quâ mediante Filii DEI nominamur & sumus, & quæ vires nobis tribuit, non tantùm ad benè vivendum; verùm etiam nos incitat ad frequenter, ac promptè, illa quæ Dei sunt, operandum, Devotio appellatur. 4

Devotio cæterarum virtutum quasi quoddam est condimentum: quæque omnes actiones gratas, dulces, & faciles red- 5

dit. Omnium virtutum ſtimulus eſt; ac proindè qui virtutũ ſemitam expeditè perambulare cupit, hanc ſibi pro calcaribus aſciſcat.nam ſine eâ rebelle ac petulans animal ſuum,regere nequibit. Verum eſt Saccarum ſpirituale,quod omnem amaritudinem Mundi dulcem facit,omnia hujus vitę incommoda condit. Sicque jugum Chriſti dicitur ſuave.Illa à Pauperibus aufert moroſitatem,ſuperbiam à divitibus,deſolationem ab oppreſſis, inſolentiam à felicibus, triſtitiam à ſolitariis, diſſolutionem ab illo qui eſt in ſocietate.Illa poteſt abundare & ferre paupertatem; illa honorem & deſpectum eodem pede metitur; eodem vultu patitur voluptates atque dolores.

6 Devotio multis aliis nominibus appellatur: eadem illa eſt cum Imitatione Chriſti, nihil ea aliud eſt,quàm homo novus, eadẽ eſt cum paupertate ſpirituali. Vmbra eius aliqua eſt,Mors Philoſophica Platonis.*Lipſ. manuduct. 2. Diſſert. 2.*

7 Vnusquisque devotionem pro affectu & phãtaſiâ ſuâ perperàm fingit. Hic qui jejuniis addictus eſt,devotum ſe putabit,ſi jejunet; licet cor eius cum odio & inimicitiâ cõflictetur. Alius ſe devotum dicet, ſi multas quotidiè orationes legat; quãvis inter dome-

domeſticos & vicinos, verba moroſa,arrogantia, & injurioſa effutiat. Alius ad dandas pauperibus eleemoſynas eſt promptus; tardus autem ad ignoſcēdum inimicis, &c.

Devotio non in manſuetudine, ſuavitate,conſolatione ſenſibili,cordisvè teneritudine conſiſtit; quæ in nobis lacrumas & ſuſpiria quandoque provocat, & in quibusdam ſpiritualibus exercitiis, ſuaviſſimam retribuit conſolationem. Lacrumæ molles in ſceleratum cor influentes, & non penetrantes, inutiles omninò ſunt:non enim idcircò miſeri iſti,vel uno teruncio ex divitiis malè acquiſitis carerent, aut uni perverſæ affectioni renuntiarent.Ab hisce devotio non ſolùm non pendet,ſed eæ inimici ſæpè ſunt cautelæ; qui animas hisce minutis conſolationibus detinens aſtutè, ulteriùs progredi vetat : ut veram & ſolidam devotionem,in conſtanti,reſolutâ & promptâ voluntate ad exequēda opera Dei conſiſtentem,de cætero quærere non curent. 8

Et hæ tamen mollities atque dulcedines, optimæ aliquando ſunt : quia appetitum animæ excitant,ſpiritum conſortant,& ad promptitudinem devotionis adjungunt quandam alacritatem.Vt de ſe Regius Propheta teſtatur,dicens: Viam mandatorum 9

tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum, hoc eſt, quandò illud conſolationum tuarum (quæ huius promptitudinis cauſſa extiterunt) dulcedine recreâſti.

10 Dulcedines eæ bonæ, à perniciosis ex fructibus ſunt diſcernendæ. Si namque humiles, patientes, tractabiles, charitativos, & condolentes erga proximum nos efficiunt; magis ſimplices in converſatione, magis fervidos ad mortificandas concupiſcentias noſtras, &c. à Deo illæ ſunt profectæ. Si verò eæ nos tantùm concernant; & curioſos, iracundos, præſumptuoſos, duros erga proximum nos reddant; ut nos ſanctos putemus, & directioni ac correctioni ampliùs ſubeſſe nolimus; abſque dubio gratiæ & conſolationes iſtæ ſunt falſæ.

11 Ex hoc communiter poteſt dijudicari, an illuminatio, viſio, vel conſolatio ſit à Deo; cùm accuratè animadvertimus, an homo ex hujuſmodi influentiâ trahatur ad ſui ipſius cordialem contemptum, ad humiliationem profundam, ad omnium vanitatum ac vitiorum deteſtationem, ad fervidum boni communis amorem, &c. *Dionyſ. Carth. colloq. de iudic. animar. art. 27.*

12 Mater renuit dare ſaccarum filio verminculoſo: ità Deus à nobis conſolationes aufert,

auffert, si nobis in illis placeamus, & vermibus vanæ gloriæ laboremus.

Simplex & candidus (instar infantis) si esse nolis; non tibi dabitur saccarum infantum. 13

Voluptatibus mundanis te satiâsti : mirum non est, si nauses delitias (vel non sentias) spirituales. 14

Nihil ita fructuosum est in siccitatibus & sterilitatibus spiritus; quàm non omninò expetere ab illis liberari: sed confugere ad puram misericordiam providentiæ DEI. Is namque nos ad omnia paratа videns, adjuvat gratiâ singulari: sicut Abrahami volentis filium sacrificare, voluntatem pro facto acceptavit. 15

Bona opera, tempore spiritualis sterilitatis non sunt omittenda. Nostræ etenim actiones sunt tanquam rosæ, quæ recentes sunt quidem gratiores: sed nihilominùs siccæ, plus odoris & virtutis habent. 16

Devotioni magis est quàm Eruditioni studendum; in quo multi hodiè peccare videntur. Olim fuerunt Pharisæi; nunc Scribæ. Die Papisten wahren vor zeiten Werck-Heiligen/jetzunder findet man vil Schrifft-heiligen. Nũc quadrat dictum Salviani. 5. *de gubernat. Dei.* 17

A 6

Nos tantummodò benè legimus (S. S. Scripturas) atque utinam quàm benè legimus, tam benè adimpleremus.

18 Malè qui de Pietate scribunt, ab Eremitis prototypum sumunt, aut ad solitariam vitam ducere volunt omnes. Anima heroica & constans, in Mundo vivere potest, non communicando de Mundo: ut ad fontem pietatis perveniat in medio amaritudinis seculi hujus, & in flammis terrestrium Voluptatum, alas sacrorum desideriorum Vitæ devotæ non adurat.

19 Devotio nihil depravat, sed perficit omnia: & contraria legitimæ alicujus vocationi, absque dubio est falsa. Non solùm haut arcet nos ab ullo genere vocationis, negotiové honesto; sed & ea simul exornat.

20 Error est, exturbare velle vitam devotam, ex societate militum, ex opificum officinâ, ex Aulis Principum, ex familiâ conjugatorum.

21 Mundo quilibet pro vocatione suâ utatur; ut tamen animus liber sit & promptus ad serviendum Deo, quasi Mundo non uteretur.

22 Ad vitam devotam adspirans, sermones hominum curare non debet: mille in te calumniarum & detractionum tela vibrent,

vocent

vocent ſtudium tuum hypocriſin, ſimulationem, totus modus vultu te adſpiciat torvo; ab illâ repulſus ad DEUM recurras. Mundus ſemper gratioſus & favorabilis filiis hominum: ſed aſper filiis Dei eſt judex. Charitas eſt benigna, ſed mundus eſt malignus: quando actiones noſtras accuſare non poteſt, intentionem ſaltem inſimulat.

Vt magis confirmemur, in principio cõverſionis noſtræ pati opprobria & calũnias debemus: hoc enim modo evadimus periculum ſuperbiæ atque vanitatis. In hoc Mundo crucifigimur, ut nos crucifigamus illum. Ille nos ſtultos judicat, ut nos ipſum dicamus inſenſatum. 23

Cor benè diſpoſitum intra ſe, ſæpiùs ingeminat illa: Quid Angelis videtur, ſi talia cogites, facias, dicas; non autem, quid dicent homines? 24

Si objiciat aliquis, abſque his conſiliis & exercitiis vitam agi poſſe; ne illud negaveris: ſed placidè reſponde; tuam infirmitatem tantam eſſe, ut auxilio indigeas, aliis majore. 25

Vitæ devotæ ſtudens, non incipere ſolùm; ſed eam continuare debet. non enim initium, ſed finis laudatur. Por commençar las obras, no ay gloria, ni premio: à la 26

duracion y fin se deve. *Ant. Perez in Aphorism. f. m. 33.*

27 Ad vitam devotam adspiranti, à purgatione animæ est exoriendũ. Naturæ etenim humanæ corruptio, & indè profecta labes, omnis in operando occurrentis difficultatis existit caussa, & gravem nobis atque molestam virtutis viam facit: cùm tamen aliàs Natura si in se consideretur, omnium in mundo suavissimum pulcherrimumque existat. Purgatio ergò hujusmodi, à malis humoribus nostris; exordium est sanitatis spiritualis.

28 In iniquitate sum conceptus, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Iniquitatem, depravationemque mox produnt infantes. Vidi ego & expertus sum zelantem parvulum; nondùm loquebatur, & intuebatur pallidus amaro adspectu collactaneum suum. In fonte lactis ubertim manante, opis egentissimum, & illo adhùc uno alimento vitam ducentem, consortem non pati.

29 Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis venit. ait Ecclesiæ sponsus. *Cantic.* 2. Flores animorum nostrorum, nil nisi bona desideria sunt. Illa quàmprimum apparent, omnia opera mortua & superflua

perflua ſunt reſecanda, penitusque abjicienda.

Purgandum pectus â vitiis, quò capax ſit virtutum. 30

Cùm DEUS venit in cor noſtrum, illud 31 inebriat; & tum obliviſcitur mala ſua commiſſa atque committenda. Anguſta eſt domus animæ meæ; quò venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinoſa eſt, ædifice eam. Habet quæ offendant oculos tuos, fateor & ſcio! Sed quis mundabit eam! Aut cui alteri præter te, clamabo? Ab occultis meis munda me domine. *Pſ.* 18. Tibi proloquar adverſum me, delicta mea, Deus meus, & tu dimittes impietatem cordis mei. *Pſal* 31.

Vera contritio eſt, peccatorum exſcindere cauſſas, hoc eſt, mortificare carnem, eamque coërcere: non ut compenſentur æternæ pœnæ; ſed ne caro protrahat ad peccandum. 32

Quò ſæpiùs moritur metallum, eò nobilius evadit, dum ſcoriam & corpus vetus amittit. Sic etiam, cùm ſæpiſſimè homo moritur, magis magisque illuminatur, & de claritate gradatim venit in claritatem tantùm per mortem Chriſti in ſeipſo. 33

Quàm optata & ſalutaris res ſit, victoria de paſſionibus ſeu affectibus, & remiſſio 34

pecca-

peccatorum, quàmque periculosum sit iis carere; illud unicum satis nos edocere potest: quòd ipse Deus tam mirabilia fecit, tam miserabilia passus est; ut hanc miseris hominibus passione compararet, illam exemplo doceret.

35 Morbi cordis, sicut & corporis, celerrimè accidunt, sed tardissimè curantur. Ergò animosè est progrediendum, nec unquàm de successu desperandum.

36 Assuefac te ad ea etiam, de quibus desperas. Nemo enim nisi expertus scit, consuetudinis assuefactionisque vires.

37 Exercitium purgationis animæ, nec potest nec debet, nisi cum vitâ finiri. Non ergò perturbent nos imperfectiones nostræ. Perfectio quippè nostra in eo consistit, ut cum imperfectionibus pugnemus, non ut illas non sentiamus.

38 Mirum non est, quòd infirmitas sit infirma, imbecillitas misera atque imbellis. Sed nil miserius est misero, non miserante seipsum.

39 Vtile est peccata nostra sæpiùs, & quidem minutim considerare: ut admiremur misericordiam Dei, qui nos peccantes tantâ cum patientiâ ad pœnitentiam exspectavit.

Irasci-

Irascimini, & nolite peccare. *Psalm.* 4. Felix qui didicit irasci sibi de præteritis, ut de cætero non peccet. 40

Scorpio à quo puncti sumus, in pungendo est venenatus: at verò in oleum redactus, contra proprias punctiones, remedium præsentissimum existit. Sic peccatum ex genere suo turpissimum est, & maximè venenosum: & illud tamen idem in pœnitentiam conversum, honorabile est, & salutare. 41

In bono statu is est, qui sæpè peccata sua deplorat; sæpè spe misericordiæ gratiæque Divinæ erectus, gaudet; consolationem in corde sentit; & de mundo, ejusque viâ indignatur. 42

Multa inveniuntur, quæ animos compungere, & ad peccatorum agnitionem adducere possunt: sed nihil ad hoc tam efficax invenitur; quàm consideratio magnitudinis, bonitatis, & multitudinis beneficiorum erga ipsos peccatores: & quòd ea omnia nos ad pœnitentiam non negligendam invitant. Quo intuitu D. Augustinus dicebat: ô Domine noverim te, noverim me! 43

Verum medium perveniendi ad amorem Dei, est consideratio beneficiorum 44

ejus

ejus: quantò plus illa cognoverimus, tantò plus illum amabimus. Et sicut beneficia particularia potentius, quàm communia movent; ita etiam majori cum attentione considerari ea debent.

45 Iam in reprobo est sensu, quem Divina beneficia sensibus obuia, non retrahere â peccando queunt. Ita Iudas non desistit â proditione, etiamsi ipsum suum Salvatorem ante pedes suos prostratum, sibique pedes lavantem conspexerit.

46 Magnum est beneficium, quod homo accepit in creatione: cùm nulla planè perfectio in ullâ creaturâ reperiatur, quam homo non habeat in animâ suâ longè excellentiùs, aut certè possit habere. Vndè manifestè sequitur, quando Deus tali nos munere impertivit, quod in uno cumulo omnia simul sit largitus. Considerare debemus totum esse nostrum â Divinâ providentiâ & dispositione pendere: universum mundum, & omnia, quæ in eo continentur, ad nostrum usum & obsequium condita fuisse. Considera verò adhuc attentiùs, omnia alia excedens beneficium Redemptionis.

47 Perpende quis patitur, quid patiatur, proquo, & quam ob caussam. Considera, quoties nos Deus â peccatis retraxerit? quot

nos

nos annos tam clementer, tam longanimiter exſpectaverit, quod in tantâ ſcelerum impuritate vitam tranſigere permiſerit: quòd non in peccatis deſeruit vel occidit.

Convenientiſſimum modum Deus ele- 48
git, ut noſtris miſeriis mederetur; Paſſionem nempè filij ſui: utpotè quâ non ſolùm pro noſtris ſceleribus ſatisfaceret; ſed ſimul ſuperbiam noſtram depmmeret; ad mundi contemptum, ad crucis, paupertatis, ad injuriarum, ac deniq; ad omniũ aliorum laudabilium laborum amorem, ac hilarem tolerantiam induceret. Optima & utiliſſima hæc eſt methodus Dominicam paſſionem meditandi; videlicet ad imitationem, undè tranſitus fiet ad transformationem: ut quis dicere valeat cum Apoſtolo; vivo autem jam non ego, vivit in me Chriſtus. *Galat*. 2.

Magnitudinem cruciatuum, anguſtia- 49
rumq; Salvatoris noſtri, pro nobis exantlatorum; vel unicum illud in cruce prolatũ verbũ demonſtrare poteſt: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti! Cùm enim Pater cœleſtis eum dereliquerit, quid ab hominibus potuit exſpectare. Si noſtra peccata, immerenti, & omnipotenti tantas anguſtias attulerunt; quid facient

facient homini peccatori, impœnitenti: qui ipse cogetur perferre, quod pertulit pro credentibus Christus.

50 Gravitatem peccati maximè auget; si in quem, cur, & quomodò peccaveris, consideres. In Deum, cujus bonitas & Majestas est immensa, qui tot sibi beneficiis hominem devinxit. Occasio, quæ te ad crimen aliquod committendum impulit; minimum fuit existimationis conservandæ momentum, fœda species voluptatis, utilitas exigua oculis objecta; & frequenter nulla omninò occasio, sed mala tantùm consuetudo, Deiq; contemptus, seu Epicureismus. At quomodo peccasti? Tantâ cum facilitate, tam insigni cum audaciâ, tam exiguo cum timore, talique cum securitate & voluptate; ac si negotium nobis esset cùm Deo ligneo, qui nullam eorum, quæ in mundo aguntur, habeat curam.

51 Imaginare tibi, Diabolum sedentem in summo Throno, summè elevatum, cum omnibus Spiritibus infernalibus; & circa illum maximam hominum turbam, qui omnes aperto capite honorant illum, & serviunt illi; alij hoc, alij alio peccato. Adspice gestus, & ceremonias infortunatorum Aulicorum, abominabilis istius Regis. Adspice alios

ce alios odio, invidiâ, & irâ inflammatos, alios se invicem mactantes, alios crudeles, cogitabundos, & ad colligendas divitias sollicitos, alios ad vanitatem attentos, alios in vitiis suis, ut jumenta in stercoribus suis putrefactos. Vide quantùm sint omnes inquieti, sine ordine, sine modestiâ existentes. Vide ut alij alios contemnant, ut neminem nisi per falsas apparentias ament. Contemplare calamitosam hanc Rempublicam, & Mundum hunc eam esse puta, & te per peccata in eâ vivere dole.

Humilia te ante Deum ex toto corde, 52
cum Psalmista dicens: Domine, ego sum verum Nihil ante te. Et quid recordatus es mei, ut creares me. Non ergò deinceps placebo mihi, quia ex me nihil sum. Quid gloriaris pulvis & cinis? ô verum Nihil quid gloriaris? Nostrum Esse sub hâc accepimus conditione, ut totum illud impendamus obedientiæ sancti nostri Creatoris.

Deplorandum est infortunium illorum 53
hoc non considerantium; sed viventium quasi creati non essent. Exprobranda est animæ nostræ miseria sua quæ ante hoc tanta fuit, ut parum vel nihil de hoc cogitârit. Considera quãtum temporis intercesserit, à quo peccare incœpisti. Considera tuas malas

malas inclinationes, & quoties illis obtemperâsti: Considera ingratitudinem hanc; quòd Deus tantùm laboravit pro tuâ salute,& tu semper fugisti illum,ut perderes temetipsum. Ex hoc videbis multitudinem, gravitatemque tuorum peccatorum.

54 Ex meditatione miseriarum humanę vitæ,mundanæ gloriæ perspicies vanitatem, peccataque vitare disces.Perpende vitæ hujus brevitatem, propter quam tamen æternitatis jacturam facere non veremur. Perpende incertitudinem mortis, fragilitatem sanitatis. Adspice mutationes inconstantiamq; animorum corporumque, & simul Fortunæ seu conditionis. Attamen ita fallax & subdola hæc est vita, ut faciat hæc omnia nos latere.Etenim cùm sit turpis, nos tamen illam speciosissimam; cùm brevissimis terminis circumscripta, nos illam longam;cùm plena infelicitatis, nos tamen usque adeò amabilem illam reputamus, ut nullum sit discrimen, cui non se homines objiciant pro illius conservatione.

55 Intuendæ sunt subindè infirmitates & labores corporum, passiones & cogitationes animorum, pericula in omni statu atq; in omni ætate hominibus intenta, & quotidiè vitæ hujus miserias clariùs intelliges: ut cùm

ut cùm perſpexeris, quid de hoc Mundo ſperari poſſit; tu eum magnanimiter cum omnibus, quæ ad eum pertinent, contemnas.

Meditatio mortis, utiliſſima eſt; tum ad veram ſapientiam acquirendam (quæ in verâ humilitate conſiſtit) tum ad peccatum fugiendum. 56

Conſidera te aliquando moriturum eſſe, ſed quomodò, aut quandò? planè ignorare: niſi quòd mors hominem tum plerunque ſolet adoriri, cùm minimùm de illâ cogitare ſolet. 57

Qui cupit ſaluberrimam aſſumere mortis conſiderationem; imprimat cordi ſuo particulariter morientis diſpoſitionem. V. *Dion. ſ. Carthus. in colloquio de part. iudic. animor art.* 35. 58

Omnia nobis ita & agenda ſunt, & dicenda, atque cogitanda; ut ſi jam nunc vitam in exitu eſſe arbitremur. Et hanc ob cauſſam, horam noſtræ mortis nobis incertam fecit DEUS. 59

Non eſt pœnitentia ad mortem uſque differenda. Etenim infirmitatis magnitudo, & dolores mortis impendentis, tanti ſæpiùs exiſtunt, ut vix cogitationes ad Deum convertere patiantur. 60

Dum

61 Dum homo est sanus, persuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè misericors sit,& pœnitentiam hominis, etiam in fine vitæ acceptet. Sed horâ mortis jam imminente; suggerit homini Deum inflexibilem ac prorsùs justissimum esse,& pœnitentiam ex timore prodeuntem, inutilem ab eo reputari.

62 Tale est poculum, quod humani generis inimicus veneno suo infectum, mundi amatoribus epotandum offert, quale illud, de quo sapiens ait: *Prov.23* Ne intuearis vinum,quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus:ingreditur blandè,& in novissimo mordebit ut coluber.

63 Peccare prohibet cogitatio; Dei omnipotentiam, non longè à nobis abesse, cùm longè sumus ab eo.

64 Miserrimum est non agere pœnitentiam, non converti, ut deleantur peccata nostra:ut cùm venerint tempora refrigerij, tempora restitutionis omnium. *Act.3.v* 19. 21. nos tum dolere magis incipiamus, cum debeamus gaudere. Tã enim injusti,quàm justi resurgent. *Act 24 v* 15 Et Deus redarguet impios de factis omnibus, quæ impiè perpetrârunt;de omnibus duris,quæ locuti fuerunt adversus ipsum peccatores.

O Deus,

O Deus quis me securum faciet, pro istâ die, in qua præ timore cœlum contremiscet; ubi omnis furor præteritis seculis congestus, & thesaurizatus, in homines effundetur. Detestare peccata tua, quæ sola te possunt perdere in istâ tremendâ die. 65

Respice cœlum, nec illud pro terrâ desere: respice Infernum, nec in illum te abijce propter momentaneum quod delectat, ne in æternum cruciêris. 66

Nunquàm ridere voluit quidam Sanctus; cogitans animæ præstantiam, & quòd exiguo impulsu eam in æternas tenebras præcipitare queamus. *Botero de' detti f.* 157. *b.* 67

Si febriculæ calor noctem ita longam & tædiosam facit; quantò terribilior erit nox æterna accumulata cum tot tormentis. 68

In Inferno semper animæ moriuntur, nec tamen unquàm sunt sine vitâ; non alio fine fruuntur vitâ, quàm ut semper moriātur. Planctus misericordiâ carens, contritio sine pœnitentiâ, tormentum sine fine, nec etiam sine mensurâ. Nam hæc omnia mala, eum sequi necesse est, qui est sine Deo; contra quem est Deus. Horrenda res est cadere in manus Dei vivi. *Hebræor.* 10. *v. Deuter.* 32. 69

Infernum si imaginando complectere 70

velis, præpone tibi omnia mala simul coadunata, cum omnibus suppliciis, quæ mente fingi & imaginari possunt. Mensura doloris ibi adæquabitur mensuræ voluptatū in præsenti vitâ perceptarum; confusio par erit gloriæ ac præsumptioni; inopia & egestas abundantiæ, fames & sitis delitiis atque gulæ. Suppliciorum illorum sigillum, & velut clavis erit æternitas durationis: quod enim certo tempore est definitum, verè arduum esse non potest.

71 Inferni horrorum, cruciatuumque imago & idea quædam est, desperatio cui interdum etiam electi appropinquant. *v. Iob.* 3. 1. & 3. *Ierem.* 15. v. 10.

72 Impœnitentes cogitare debent, nec Angelis pepercisse Deum: sed eos qui non conservârunt originem, & domicilium suum reliquerunt, vinculis æternis sub caligine reservari. *Iudæ. v.* 6.

73 Peccata ut fugiamus; considerandū est, quàm caduca sint præsentia, & quàm firma futura: quod fuit apophthegma Ioh. Pici. *Botero f.* 159. *b.*

74 Gloriam beatorum, Majestatemque Divini Regni, ut aliquo modo animo comprehendas: considera minimam stellarum cœlo infixam, aliquoties terrâ majorem esse; ali-

ſe; aliquas etiam terram ducenties, aut trecenties magnitudine ſuperare. Perpende earum multitudinem numero quaſi carentem: cerne inter eas vacuum ſpatium quod reſtat. Quomodò non totus obſtupeſcis, ac in admirationem tantæ magnitudinis, nec non ejus qui tantam molem fabricatus eſt, defixus; à temetipſo relictis ſenſibus defixis? Iam ſi magnitudinem Dei, Divinamq; utcunque agnoſcis Majeſtatem, imaginare gloriam æternæ vitæ, ubi Deus omnia in omnibus erit. 1. *Cor.* 15. Aliam jucundam & ſpiritualem conſiderationem vitæ æternæ & gaudij cœleſtis, vide omninò apud D. Auguſtin. 9. *Confeſſ. c.* 10.

Non ſolùm peccatum eſt deſerendum; ſed & omnes omninò affectiones â peccato dependentes, omninò ſunt ex corde evellendæ. Non ita â peccatis eſt abſtinendum, ſicut â melonibus ægroti, quos Medicus ſub pœnâ mortis præcipit vitandos: â quibus etſi abſtineant; deſiderant tamen illis veſci, ſi absque mortis periculo fieri poſſet; undè ad minimum illos odorari volunt. Non debemus ſimiles eſſe mulieri, quæ deteſtata impuros amores, nihilominùs gaudet ambiri & conveniri. 75

In pravarum affectionum mortificatio- 76

ne, vera Devotionis essentia consistit. Et hoc est quòd David protestabatur: se non solum peccatum; verùm vias & semitas ejus odisse velle.

77 Rabulæ & circuitores sunt æstimandi, qui nituntur suis artibus extrinsecùs, hypocriticâ & adumbratâ ceremoniarum exercitatione, simiarũ more; non sanare (morbis spiritualibus) graviter affectos; sed efficere, ut sibi persuadeant se esse sanos, & in hominũ conspectu videatur incorruptissimâ præditi sanitate. Non secus ac si quis sanare incipiat scabiem crustificam; neglecto intrinsecùs ad repurgandum jam putescentem sanguinem extorsorio medicamento, cicatricem tantummodò ducendo. Cùm contra ipsam rerum naturam, tum & expressum veri medici mandatum: qui ait; purga priùs quod intùs est, ut fiat quod foris est mundum. *Matth.*23.℣.16.

78 Devotionem maxumè promovet, cordis ab omni vanâ atque inutili cogitatione, ab affectibus, ab amoribus peregrinis, à turbulentis & concitatis motibus diligens custodia. Virtus enim hæcce, vel maxumè poscit cor quietum, & liberum ab omni inordinatâ affectione; nec minùs quàm chordæ in cytharâ compositum. Cordis custodia,

sensuum custodiam præsupponit; Oculorum maxumè, linguæ & aurium: utpotè quæ cor maxumè distrahere solent. Et id quò minùs in eâ quæ foris sunt, fuerit evagatum; eò intrinsecùs majori tranquillitate atque recollectione gaudebit.

Concupiscentia carnis, fundamentum 79
est & radix quasi omnium aliorum peccatorum: nam ut carni nostræ benè sit, bona mundi hujus desideramus, &c: Sciendum ergò est, nos carnem â Deo accepisse, non ut illâ gaudeamus, sed ut eam mortificemus, & spiritui subjiciamus. Vt nempè post mortem fiat spiritus, cui in vitâ parebat. 1. *Cor.* 15. Sed eheu, illa nobis semper insidiatur, de eâ ideoque est scriptum; *Micheæ.* 7. Inimici hominis domestici ipsius. His ni Spiritum jugiter opponamus, homo fit bestia, seu animalis homo, animam non rationem habens. Qui non intelligit quicquàm quod est Dei. 1. *Cor.* 7. Hanc si patimur dominari, cùm ei in Baptismo renunciaverimus, & pars Dei fuerimus per regenerationem facti, Apostasiam committimus detestandam.

Carne mortificatâ, spiritus Dei vivit in 80
nobis: cujus privatio, est mors spiritualis. Ejus conjunctio & operatio in nobis, est vi-

ta Christiani. Caro nempè impedit unionem animæ cum eo, qui ab eâ solùm amari debet.

81 Cùm ergò carnem nostram mortificare conveniat; non curam habere debemus de eâ in desideriis suis. *Rom* 13. Si mortificari ea debet, non ea delicatè est nutrienda: nisi quantùm necesse est ad id, ut possit esse spiritus instrumentum, & operari perficereq; id, quod Deo placet.

82 Anima vivens secundum corpus & corporis vitâ; nihil fit aliud quàm caro.

83 Mors fructum profert. In morte est vita; ut verior demonstrat Philosophia. Unde Paulus ait: Cupio dissolui & esse cum Christo. Sed mori debemus in vitâ: si ex morte vitam habere velimus.

84 Mortificari quidem, at mori non possunt concupiscentiæ nostræ pravæ. Wir, seind wie Harnisch / werden nach dem polieren bald wider rostig.

85 Levia quædam peccata vitare non quimus; verùm affectiones ad illa sunt præcavendæ. Eis enim, si in animabus nostris locum demus, & eæ per negligentiam nostram incrementum sumant; jacturam animæ nostræ procurant.

86 Quemadmodùm continua sanitas optima est;

ma est; bonum tamen censetur, amissam quoque post morbum recuperare. Ita præstat non peccare: sed tamen ad pœnitentiam citò redire, nô minus juvat. Imò Deus & Angeli, plus gaudent de salute animæ desperatæ, & de majore periculo liberatæ; quàm si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset. Triumphat victor Imperator, & non vicisset, nisi pugnasset. Plus hostis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet. *v. August. confess.* 8. *c.* 3. & 4.

Pœnitentia superat omnes Medicinas. 87
Perez. f. 63 *n.* 102. La penitenzia, Sobre todas las medicinas.

Pœnitentia, impœnitentibus quæ videtur amara; jucundissimam facit vitam pœnitenti. 88

Lacrumæ pœnitentum, vinum sunt Angelorum. 89

Pœnitentia est hominum judicium, ac propria condemnatio; & prohibet ne judicium Divinum incurramus. 90

Vera pœnitentia est, non amplius eisdem affectibus obnoxium deprehendi; sed funditùs (quantùm fieri potest) ab animâ evellere ista peccata, quorum causa aliquis se judicaverit morte dignum. 91

92 Haud verè pœnitens est, peccata qui non relinquit: peccata vitare non cupit, qui non omnes peccandi fugit occasiones.

93 Ad veram conversionem non promovet probitas; (civilis) nec ab eâ nos removet peccatum præcedens, ut testatur Saul & David.

94 Evangelicarum concionum exordium est: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum. Ad consequendã igitur æternam felicitatem, præ omnibus maxumè necessariũ nobis est; ut omnium commissorum nostrorum pœnitentiam veram agamus, pœnitentiæque opera in hâc vitâ nunquàm negligamus, nunquàm in hoc cessemus, quandoquidem nemo nostrûm est, qui peccati sit exsors.

95 Veram pœnitentiam agere nemo potest, nisi peccatorum prius enormitatem, gravitatemque exactè habeat perspectam. Scias ergò quod peccatum sit aversio quædam à summo Creatore Deo, conversio ad vilissimas creaturas, mors spiritus, laqueus diaboli; Idolorum cultus, abnegatio fidei, plurium peccatorum occasio & causa, momentanea lætitia, diutina tristitia. Iactura illius incomprehensibilis est, confusio irrecuperabilis, pœna intolerabilis.

Quæ

Quæ poteſt eſſe major humilitas, quàm aſſumere imaginem peccatoris eum, qui remedium erat omnium peccatorum. Non ſic facit perverſitas ſuperbiæ humanæ. Nos qui peccatores ſumus, & haberi tamen peccatores nolumus: peccatis inquinari non erubeſcimus, & nos tamen pudet ſalutari pœnitentiæ balneo lavari rursùm. 96

Duo ſunt præcipuè qui veram impediūt converſionem. (1.) Quòd nequimus nos abſtrahere à vanitate faſtuq; Mundi. (2.) Quòd apud homines magis quàm apud Deum ipſum (eiusque in verbo) refectionem quærimus, & eruditionem. 97

Reſtitutio iniquè ablatorum neceſſariò facienda eſt ei, qui veram pœnitentiam agere voluerit. Tantiſper enim fur aut prædo eſt, dum eſt injuſtus rei alienæ poſſeſſor. Ergò civilis illa ſatisfactio neceſſaria erit: quia ſcriptum invenimus; Qui furatus eſt deinceps non furetur. 4. *Ephes*. Is autem fur dicitur, qui aliena bona ſciens & volens, vel auffert vel retinet, domino invito. Et eſt hæc reſtitutio, non ſatisfactio, ſed pars contritionis: quia contritio eſt pavor & dolor de peccato, & deinceps non committere facta, contra conſcientiam Deique mandatum. 98

99 In te (DEUS) offenderunt injusti, ut justè vexarentur; fugiunt, ut non viderent te, videntem se, atque excæcati in te offenderent: quia non deseris aliquid eorum quæ fecisti. Subtrahunt se impij lenitati tuæ, offendentes in rectitudinem tuam, cadunt in tuam asperitatem. Convertantur E. & quærant te, quia non sicut ipsi deseruerunt te creatorem suum, ita & tu deseruisti creaturam tuam. Ipsi convertantur & quærant te, & ecce, ibi es in corde eorum; in corde confidentium tibi, & projicientium se in te, & plorantium in sinu tuo, post vias suas difficiles. *Aug. confess 5.c.2.*

100 Non methodus illa mihi placet, quæ ad reformandum hominem, per exteriora; gestus sc: vestes, & capillos initium facit. Per interiùs est incipiendum; cõvertere, inquit, Deus ad me, ex toto corde tuo. *Ioel 2.*

101 In Politicis quoque, non ibi confusio est major, quàm ubi sine Deo reformare, ordinemque introducere conamur. Nos pro lubitu nostro disponimus res nostras, & posteà demùm, rerum ordinisque nostri conservationem Deo commendamus: cùm potius debebâmus ordinem Divinum sequi & custodire.

102 Frustrà laudat misericordiam Dei, qui tempore

tempore necessitatis non novit sperare in illam.

In eo solo consistit Sathanæ acumen; ut nobis persuadeat, Deum magis justum esse quàm misericordem; nostraque peccata majora esse, quàm ut eorum remissionem admittat justitia Divina. Hasce cogitationes certò scias à Diabolo proficisci: & ideo Dei voluntatem in contrariam partem inclinare puta. 103

In omnibus operibus Dei, spectatur misericordia, cum justitiâ permixta. Sunt tamen aliqua, in quibus misericordia à justitiâ superatur. Aliqua, in quibus contrarium fieri solet. In omnibus iis qui condemnandi sunt, magis elucet justitia; quos propterea Apostolus iræ vasa appellat. Magnitudo misericordiæ elucet in salvandis: qui ideò vasa misericordiæ indigitantur. Sed hæc non pendent ex decreto absoluto. Namque cùm misericordiam nolumus amplecti, necessariò justitiâ corripimur: Non equidem velle nostrum est: sed non vult mortem peccatoris DEUS. 104

In angustiis & terroribus desperationis, non fuga juvat, non blasphemia liberat, non ejulatus levant. Promptissimum remedium experti sunt quàm multi: qui corde 105

sincero voluntate divinâ contenti, optimũ statum esse reputaverunt, semet in totum resignare Deo. Fac mecum quod tibi placet bone Deus. In infernum si me conjicis, tuus sum: illinc si me liberas, pari modo mancipium existo tuum. Sive vivam sive moriar, sive lætitiâ aut tristitiâ me afficias, tibi vivo, tibi morior, tuo beneficio lætus, tuâ voluntate sum tristis. Et cùm hoc modo non resistimus DEO, semperque respicimus ad Dei voluntatem. Cùm nos humillimè subjicimus Deo: tùm demùm consolatoria dicta vivæ vocis nostri Salvatoris exaudiuntur. Et quæ nobis antè in vanum dicta surdisque auribus cordis audita fuerunt; demùm exturbatis aliis affectibus (voluntati divinæ repugnantibus) in nobis inveniunt locum.

106 Remissio peccatorum ab homine facta, infamiæ maculam relinquit. Dei honorifica est, cum gratiâ magis sit plenâ. *Perez. f. 14. n. 65.* Ecce quàm discors sit judicium Dei, & regimen humanum.

107 Luce destituimur omnes, quamdiu veritatem, peccata confundentem, hostem nostrum reputamus; & sic meridiem ipsam fugientes, mendaces tenebras longè supra veram lucem amamus. Ille autem verè Lu-

men gratiæ habet, qui diligentis vulnera, plus quàm odientis oſcula laudibus efferens: pudorem & pœnam promeritam ferre promptiſſimus eſt. Conſideratâ ſolùm eâ mentis intentione, ut Deus in ſuâ veritate & juſtitiâ maximis ubique gloriæ laudibus celebretur.

Sanè jugum Chriſti eſt ſuave. Et multi 108
magnis laboribus acquirunt infernum; cùm alij tranquilliſſimam poſt vitam veniant ad cœlum. **Vielen wird die Hell ſäurer/ dann andern der Himmel.** Et apophthegma Thomæ Mori refert Boterus 2. *de' detti.f.*161.*b.*Che molti ni queſta vita ſi guadagnano l' inferno, con tãta fatica,che con la metà d' eſsa, potrebbero il Cielo guadaignarſi.

Iuſſit Deus,& ſic eſt; ut pœna ſua ſibi ſit 109
omnis animus inordinatus.

Devotionem impediunt peccata quæ- 110
cunque: debilitant enim latenter fervorem devotionis,etiamſi levia illa ſint:quæ nempè conſcientiæ ſub ſequitur remorſus.

Devotionem turbant mœror inordina- 111
tus, nimiæ ſollicitudines: quæ omnia voluptatem & tranquillitatem devotionis extinguunt.

Occupatio etiam,ſeu negotiorum nimia 112

multitudo, ſpiritum ſuffocat. Voluptates item & ſolatia ſenſuum, inſipidas reddunt ſpirituales exercitationes.

113 Fugienda item eſt curioſitas, cùm ſenſuum, tum intellectus: nec dona illa ſunt expetenda, quæ non ſine difficultate nobis offeruntur; quæ acquiſita cum periculo poſſidentur.

114 Tres ſunt gradus ad peccatum: Tentatio, delectatio, & conſenſus. Tentatio qualiſcunque (à carne noſtrâ) toto vitæ noſtræ tempore perſeverat; ſed divinam non irritat Majeſtatem: non enim agimus, ſed patimur in tentatione. Sentire cogimur Tentationem, ſed non cogimur conſentire.

115 Interdum inferior animæ voluntas, in tentatione ſine conſenſu ſe oblectat; at contra voluntatem ſuperioris. Vnde illud diſſidium eſt & bellum, ubi Caro contra Spiritum concupiſcit. *Gal. 5.*

116 Aliquando ſola tentatio peccatum inducit, cùm eidem anſam & cauſſam præbemus; nec cauſam & occaſionem ex quibus delectatio vel ipſum peccatum exoriri poteſt, ſedulò præcavemus.

117 Infantes, lupum aut urſum videntes, ad ſinum parentum ſe recipiunt, eorumque auxilium implorant. In graviſſimis ergò tenta-

tentationibus, ad Deum recurrere, & ipsius misericordiam implorare debemus. Laudabiles etiam & sanctæ occupationes; tentationes, suggestionesque malignas animo eximere possunt. Otium enim Sathanæ est pulvinar.

Ludi, convivia, pompæ mundanæ, aliaq; similia, quæ indifferentia vocantur; periculosa sunt, & illis oblectari periculosius cense. Affici ad illa, contrarium est Devotioni. Seminare in terrâ Cordis nostri, tam vanas, & ridiculas affectiones, magnum est spirituale damnum; occupant enim sationis hujus fructus locum bonarum inspirationũ, & ne succus animæ ad bonas inclinationes sese diffundat, prohibent manifestè. 118

Omninò rescissio superfluitatum mundanarum necessaria est illi, quicunque piè vivere cupit. 119

Optimum amoris & etiam profectus spiritualis signum est, alicui affectioni, vel vanitati propter Deum in totum renuntiâsse. 120

Hûc pertinet observatio cogitationum; quas non malè animæ alloquium quis vocabit: quod cum veritate institutum bonum, cum mendacio vel vanitate censebitur malum. 121

Vanitas

122 Vanitas humana apparet ex cogitationibus: quæ omnes ſunt vanæ. *Pſal.* 94. Ac ſi fide hiſtoricâ unus homo conſignaret ſuas cogitationes, paucos per dies; pudenda vel impietas vel ſtultiſſima vanitas repræſentaretur. Multi hypocauſto incluſi, quos maxumè ſeria tractare putamus omnes, orbiculos numerant feneſtrarum, aut muſcas captant cum Domitiano, &c. Ipſa noſtra exercitia bona, orationum, meditationum, vanitatibus hiſce perturbantur. Phantaſtico omninò motore (reſort) imaginatio & cogitationes noſtræ moventur. *Pulchrè du Moulin. f. 79. & multis ſeqq. du traicté de la Vanitè.*

123 Cogitationum mola aſſiduè volvitur; & qui illi non tradit ſolida tritici grana frangenda, paleas ea molit: & ſic nihil præter pulverem, ventum, & ipſiſſimas inanitates reddit. Hæc quicunque rectè capit; intelligit etiam vanas cogitationes parere peccatum & mortem; ſed Divinas, virtutem ac vitam ipſam.

124 Subindè hoc te ipſum interroga: Quam ad rem nunc utor animo meo? atque examina teipſum: Ea pars quam Principem vocant, quomodo nunc habet? Cujus animo præditus ſum? num pueri, num adoleſcentis,

ſcentis, num mulierculæ, num Tyranni, num jumenti, num feræ?

Talis erit intellectus tuus, qualia ſunt de quibus cogitas ſubindè: nam à viſis ſeu cogitationibus illis, animus imbuitur. Vivendum eſt cum Deo. Vitam verò cum Deo agit, qui continenter de eo cogitat, ejusque voluntati ſe lubentiſſimè ſubjicit, nec ei ullâ ratione refragatur. 125

Ex malis cogitationibus, & delectamentis, prava concupiſcentia creſcit. Quæ ex depravati judicij perſuaſione efficit, ut voluntas fiat. Quæ tunc neceſſariò operas exercet, ſi nõ facultate deſtituatur, vel externis cauſis (pœnâ vel publicæ infamiæ notâ) deſtituatur. Æquè tamen quamvis mala voluntas vitio virium, malum non operetur, fit actus ipſe peccati in corde. Voluntas namq; non minus operatur adulterium in animo, quàm actus ipſe perficit illud in corpore. *Matth.5 v.28.* Vbi autem malum nullo temporis puncto intermiſſo, ſive nudâ voluntate, ſive re ipsâ committitur; ineluctabilis peccandi habitus progeneratur. Vnde homo dicitur verè malus, prava arbor, quæ nullos alios profert fructus, quàm cogitationes malas, homicidia, adulteria, &c. *Matth.15.19.* 126

Cor

127 Corpium de immensâ Dei bonitate, suavitateque, inter occupationes mundanas & vanitates cogitarę gaudet. Impiorũ enim cogitationes, etiam cum pia tractare putantur, vel vanæ sunt vel iniquæ. Iustorũ semper & ubique eruditæ, æquæ, sanctæ & salubres.

128 Cogitatio arbor est, & radix, ex quâ mors & vita in animâ revirescunt. Indè eas diligenter examinare, & pravas statim impedire debemus. Sicut enim in potestate nondùm perfectorum, haut existit, origo ac principium suarum cogitationum: ita facultatem repellendarum malarum suscipiendarumque bonarum cogitationum, Deus invocantibus se in fide verâ facile largitur. Hûc pertinent dicta Sacrosanctæ Scripturæ: *proverb*. 5. *v* 1. Fili mi, attende ad sapientiam meam, ut custodias cogitationes. Scilicet sapientiæ si attendamus Divinæ, custodire quimus cogitationes. *Num*. 15. ℣. 39. Recordentur omnium mādatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes. *Ierem*. 4. ℣. 14. Lava à malitiâ cor tuum, ut salva fias Ierusalem: usque quò morabuntur cogitationes noxiæ. *Addatur cap. Esaiæ* 1. *v* 16. *proverb* 3. ℣. 6. ad Philipp. 4. ℣. 8. Ad hanc cordis cu-

dis custodiam cogitationumque observationem, pervenire impossibile videtur eis, qui ea præcepta exercere nondum incæperunt: exercitati quàm proximè ad id se accedere fatentur.

. Si quis præciperet homini, ne quid apud 129
se ipsum cogitet, animove concipiat, nisi id statim sit prolaturus; certè ne unum quidē diem id quis toleraret. Adeò magis veremur, quid proximus de nobis sit existimaturus, quàm quid ipsi nos, aut quid Deus.

Inclinationes nobis naturales insunt; 130
quæ magis Imperfectiones sunt, quàm peccata. Sic unus ad dolores animi est propensus, quidam naturâ sunt leves, alij austeri, alij in sua opinione pertinaces, alij ad indignationem, alij ad iracundiam, alij ad amorem propensi: & in summâ pauci inveniuntur, in quibus non aliquæ saltem imperfectiones notentur. Notandæ hæ sunt in aliis, & in nobismet ipsis. In nobis, non ijs indulgendum: sed temperandæ eradicandæ. In alijs tolerandæ.

Eques Christianus, etiam adversus oc- 131
culta & spiritualia crimina contraque cordis pravitates pugnare tenetur. Quæ devictis carnalibus & apertioribus delictis, vim demùm suam exercere solent. Cùm nempè

per

per ſeptem redeuntes deteriores ſpiritus, commoventur. Id quòd non intelligunt Hypocritæ atque Phariſæi; proindè etiam Publicani ſæpiùs præ illis perveniunt ad ſalutem. Per revertentes ergò illos diabolos intellige: ſeniet ipſum quærere, impatientiam, temeritatem, inflatam ſcientiam ſapientiæ humanæ, in ſuis operibus & Divinis donis fiduciam habere. &c: Zelum carnalem, præcox judicium, ſuperbiam ſpiritualem, nauſeam myſteriorum divinorum, calumniam, curioſitatem in rebus, quæ ad nos non pertinent, curam & ſervitium ventris, in hominibus ponere ſpem, vindictam, ambitionem &c: Revertentia hæc Dæmonia, hodiè dominantur in probis curā mundo. Eaque eò cenſe deteriora, quia ſæpiùs ejusmodi peccata, ſub larvâ virtutis occultantur, & ijs probi ſpiritu tribulantur.

132 Quotidiana velitatio Chriſtianorum, nihil aliud eſt, quàm cōſtans abnegatio, quotidiana pugna, æternum odium; contra omne id, quod Deo, ipſius cœleſti Regno, ſanctæque voluntati contrarium exiſtit. Cum tali hoſte, non fœdus pangendum, non induciæ paciſcendæ. Ejusque rei Canaan & Iſraël Typus erant.

Tres

Tres hostes habent Christiani: Satha- 133
nam, Mundum, & propriam Carnem.

Omnes Bellorum *Israeliticorum* Typi, 134
in Christo tanquàm capite sunt completi.
Vnde *Psalm*.46. legimus: Conflictus sustu-
lit usque ad seculi finem.

Deus nos reddit victoriosos, sed post 135
plurimos casus adversos; sæpè succumbi-
mus, & in ipsâ morte quasi peccatorum
nos relevat Deus. Hîc est conflictus Chri-
stiani, qui sæpè amaram reddit vitam Chri-
stiani, ut mortem exoptet, quâ hæcce finia-
tur pugna. Omnes bonæ operationes quasi
ansas habent, quas vel mundus vel caro vel
diabolus apprehendit; impedientes execu-
tionem. Hîc effectus apparent suggestionũ
Spiritus S. quæ etiam peccantes relevant,
quæ sunt scintillæ sub cineribus latentes:
quibus si resistimus, paulatim diminuitur,
& demum non aliter atque lumen alimen-
to destitutum extinguitur, nosq; omninò
deserit ardor ille, cui statim Diabolus suc-
cedit.

Parvus & electus grex est, qui cœlestia 136
solùm quærit, & bona peritura pro cœno ex
merito æstimat.

Erga parentes, liberos, fratres, &c. non 137
aliter affici debemus; nisi per amicitiam
sanctam;

ſanctam; quæ ad beatitudinem perpetuam perducere nos valeat. Nam ad quid nos devinciamus illis, quos rupto amicitiæ vinculo deſerere cogimur? amicitiâ nec nobis, neque illis profuturâ.

138 Chriſtus adhuc puer, parentibus ſe ſubduxit, ut eſſet in his quæ ſui ſunt patris. Durior videtur reſponſio, quàm quæ ſollicitæ daretur matri: ſed in eâ monſtravit gravitatem atque integritatem, quam ſervare debemus erga parentes; cum nobis volunt in ijs eſſe impedimento, quæ ſunt Dei.

139 Oratio eſt in terreſtri corpore, incorporea operatio, aſpectus animæ in fide Deum reſpiciens; diffidentia ſuarum actionum, præventio ante adventum, jactatio ſui in Deum, nihil volendo niſi quod illi fuerit gratum.

140 Sine Oratione, vix aliquid in hâc vitâ haberi poteſt ſecurum.

141 Non indiget noſtrâ oratione Deus, ſed juſtitia ejus requirit, ut gratiam nobis non det niſi imploratus. Sol vapores terræ elevat, non ut eas ſibi ſervet: ſed ut pluviâ foveat ipſam terram. Hoc facit Deus; qui ſuſpiria & lacrumas noſtras convertit in benedictiones, easq; abundè in nos effundit. Bonitas ejus facit, ut noſtra importunitas ipſi ſit grata. Sal-

Salvator noster post mysticæ cœnæ consummationem, cum discipulis suis, ad mõtem Oliveti, orationem facturus, antequàm passionis suæ curriculũ ingrederetur, abijt: eoque nos instruere voluit, in omnibus adversitatibus & tentationibus præsentis vitæ, ad orationem, velut ad sacram (quod ajunt) anchoram, confugiendum esse. 142

Cum tribulationibus premimur, & à Deo derelicti esse videmur, ad preces confugiendum esse; idem nos docet, cum in agone mortis dixit: Deus meus, ut quid me dereliquisti! 143

Non est ut Deum, qui semper vigilat, nostrâ oratione excitemus: sed homo exercitio hocce, excitandus est, & ad Deum converti debet. Vt videat & audiat, quod anteà non cognoscebat, & tamen verè præsens erat. 144

Quemadmodùm is peccat, qui ex propriâ probitate vel dignitate orat; ita non minùs delinquit, qui propter peccata commissa preces intermittit. Vterque injuriâ afficit nostrum Salvatorem; & meritum ipsius insufficientiæ accusat, ac si non vita & mors ipsius, satis essent ad expianda peccata totius mundi. 145

Orandus est Deus ex affectione, non ex 146

consue-

consuetudine. Non requirunt preces Rhetoricos flores;amat Deus periodos propter lacrumas,& suspiria hiulcas.

147 Qui Deum orat sanguineis manibus; *Esai.*1.sibi accelerat vindictam.Omnis Oratio est instructio & reprehensio, seu condemnatio. In Dominicâ oratione, hâc in parte artificium relucet singulare. *v. omninò P. du Moulin. de l' amour divin. f.* 234.*&c.*

148 Fides generat preces: sed filia nutrit matrem.

149 Precatione nihil est propiùs auribus Dei; si sit cor confitens,& vita ex fide.

150 Medici pro diversis morborum generibus,diversis utuntur medicamentis: Christiani verò ad omne genus malorum depellendum,unam habent Medicinam;tolerantiam sc:& devotam orationem.

151 Antequàm ad Orationem accedas; opus est,ut mens animusque, ad sanctam hanc exercitationem diligenter præparetur: non aliter ac chordæ in cytharâ; quæ nisi primùm ritè fuerint tensæ, nequaquàm efficient suavem harmoniam.

152 Dispersæ animi potentiæ (imaginatio maxumè) cum primis est colligenda. Nos autem à rebus sensibilibus cunctis avocabimur,

bimur, atq; Intellectum erigemus ad Deũ Divinam præsentiam considerando. Quam eâ cum reverentiâ atque attentione intueri debemus, ac si reipsâ præsens adesset; uti etiam est reverâ. Tum coram oculis atq; conspectu Divinæ Majestatis, profundissimè nos humiliemus; dicendo verba S. Abrahami Patriarchæ: Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis! *Genes.* 18.

Tepida & imperfecta oratio est, quæ eũ fructum non parit; ut nempè novis viribus aucti, novoque fervore accensi, ad omnia quæ Divinum servitium concernunt exequenda, regrediamur. 153

Nullum spirituale exercitium gravius esse oratione, Agaton Abbas, dicere solebat: tum nempè Sathan ut hoc salutiferum impediat opus, omnem intentat suam artẽ, quò illud impedire, disturbareq; queat. ℣ *Botero de' Dett. f.* 115. 154

Per orationem omnem rejice curam in Deum; nam sollicitudo, timor, & angustia ex eo oriri videntur, quòd non plenè fidimus Deo. Oratio ostendit spiritum, & spiritus est Veritas; essentialiter non doctrinaliter tantùm. 155

Vtilissimum est Deo peccata nostra confiteri. Gemitus ille noster testis est, displice- 156

re nos nobismet ipsis; Deũ placere & amari, & desiderari: ut erubescamus nos, & abjiciamus nos, atque eligamus Deum. Cum enim mali simus, nihil est aliter confiteri Deo, quàm displicere nobis.

157 Non confitemur Deo tanquàm ignoranti: non petimus quasi nesciat pater quid nobis opus sit, priusquàm petamus: sed affectum nostrum orando excitamus.

158 Si coram Deo justus dignusq; vis haberi: toto corde indignitatem vilitatemque tuam agnosce. Et tunc statim te Deus justum dignumque reddet.

159 In totum oratio quæ fit Deo; ab eâ, quâ Principes & magnates alloquimur est diversa. Maxumè in eo, quòd sine summâ offensione nequimus Principibus in memoriam reducere promissa, eaq; exigere, quod non ita est apud Deum. Ita & absurdum est, intercessores humano more quærere apud Deum. Nihil hîc opus est ceræmoniarum.

160 Orandus Deus, ut nobis non occurrere sinat peccati occasiones. Nam & optimi nisi divinâ gratiâ custodiantur, ibi impingũt. Et hoc agnovit M. Aut. Philosophus Stoicus & Imp. *tr. de suâ vitâ. f.* 173.

161 In oratione, vel maxumè gratiam Deo agere debemus: quod nos à morte atque

Dæmo-

Dæmonum injurijs, dum in peccatis mortalibus essemus, sit tutatus, nec in ijs siverit perire: quòd non minus fuit, ac si nos à sempiterna morte, quam hâc ratione incurrissemus, liberâsset. Vnde David *Psalm* 102. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redemit de interitu vitam tuam.

Actis Deo gratiis pro cunctis beneficiis 162
acceptis; confestim erumpet cor in affectū illum, quem Regius Propheta in se sentiebat, cùm diceret: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Offerenda ergò Deo quæcunque habemus, offerre ei debemus nosmetipsos, nos totùm ei resignando ac voluntati ejus permittendo. Offerenda omnia verba, opera, cogitationes, & quæcunque agimus vel patimur: ut hæc omnia ad honorem & gloriam nominis ejus dirigantur.

Recordari debemus transactas fœdita- 163
tes nostras, & carnales corruptiones animæ nostræ: non quòd eas amemus, sed ut amemus Deum nostrum; qui nos collegit à dispersione, in quâ frustatim discissi fuimus,

dum ab uno Deo aversi, in multa evanuimus.

164 Optimus minister tuus est, qui non magis cupit hoc à te audire, quod ipse voluerit: sed potius hoc velle, quod à te audierit. *Augustin.* 10 *confess.* 26.

165 Nihil aliud est quàm tentare Deum, cùm orantes, ore deblateramus, & cor alibi est dissipatum. *Sirac* 18.

166 Verus orationis scopus est, ut homo veniat in Sabbathum tranquillum, & in se ipso audiat, quid dicat Deus, discat, sentiat, vivum Dei verbum in corde. *v. Luther.* Im Büchlin vom Vatter Vnser.

167 Qui orare vult in spiritu & veritate, necesse est; ut relinquat hîc & illîc, hoc & illud, hodiè & cras; ita ut totus perveniat in eum statum, ut quiescant vires nostræ mentis. Statim cùm talis exoritur Sabbathus in corde nostro cogitationibusque nostris; tunc venit Summus cum verbo suo ex alto.

168 Post feriam orationem, cum Prophetâ pervenire debemus, in quoddam non petere, in silentium, & oblivionem omnium rerum. In tali Sabbatho adipiscimus omnia. Et hoc est orare in spiritu & veritate. Quod inculcat non uno loco Taulerus.

169 Inprimis orandus est Deus, pro membris omni-

omnibus corporis mystici nostri: pro justis, ut illos in justitiâ & sanctitate conservet: pro peccatoribus, ut eos à vitæ pravitate ad morum emendationem convertat. Orandum est cumprimis pro ijs, quos vel scandalo affecimus, vel quos induximus ad peccandum; ut Deus illos convertat: ne nostri caussâ condemnentur.

Qui orat Deum ut fortunatum habeant exitum bella injusta, aliaque iniquè cœpta: orat contra semet ipsum, pro injustè oppresso. 170

Oratio, quo Deum pro nostrorum salute rogamus, non inefficax est. Ita matrem Augustini adhuc Manichæi, consolatus est quidam Episcopus sanctus: vade, inquit; Fieri non potest, ut filius istarum lacrumarum pereat. 3. *confess. c. ult. & adde c 9. lib 5.* Sed sæpè Deus non curat, quæ in specie petimus nunc; ut faciat in nobis vel nostris, quod petimus semper. *V. Augustin. 5. confess. 8.* 171

O Dulcis origo, & primum principium meum; ô summa sufficientia mea: Præpara tibi in me splendidum thalamum; ut juxta promissionem tuam habites in me, atq; illic mansionem tuam constituas. Pauperi mihi mendico aperi, & manifesta Regnum 172

illud pretiosum, quod intra me est; videlicet te ipsum, cum omnibus divitiis tuis. Perfectè tibi me unias, absorbeas, ac transformes in te, ita ut ultrà non exeam à te. Tu unus solus verus Deus, doce me, dirige me, & adjuva me in omnibus.

173 Duo sunt modi laudandi Deum; unus verbis, alter operibus. Verbis laudat Medicus theriacam, quam composuit, dicitque esse efficacem contra venena: Operibus verò laudat eandem, qui à scorpione ictus, theriacam sumit & sanatur. Viden' quantò secundus ille laudandi modus, præstantior sit priori? quanta nimirùm differentia est inter dicere & facere.

174 Si recitando orationem vocalem, cor tuũ invitari ad orationem mentalem seu interiorem sentias; ne illi resiste, sed permitte paulatim animum tuum in partem istam ferri.

175 Nemo adipiscitur gratiosam misericordiam Dei, quandiu secundùm propriam voluntatem orat. Necesse est ut quis sibi ipsi moriatur, & in nihilum redigatur, & cũ Christo descendat in infernum; tunc demum gustatur dulcedo misericordiæ Divinæ,

176 Velut anima per totum diffusa corpus, nihilomi-

nihilominùs in corde specialiter residet. Sic Deus omnibus rebus præsens, præcipuè in corde sentitur: Vnde David eum vocat Deũ cordis sui. *Psalm.* 72. Ergò nos ubique præsentem Deum agnoscere debemus; sed in corde nostro, omnibus creaturis vacuo eũ certissimè invenimus. Avocet igitur se homo à rebus sensibilibus, & recipiat se ad semetipsum; videlicet ad centrum animæ, ubi est imago Dei. Quærebam te foris à me, & non inveniebam Deum cordis mei. ait D. Augustin. 6. *confess.* 1. Ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti deformis ruebam. Mecum eras, & tecum non eram &c. *Augu.* 10. *confess.* 27.

Cor est lingua auriũ divinarum: *Perez.* 177
f. 74. n. 21 El coraçon del hombre, lengua de los oydos de Dios.

Discessit ab oculis Christus, ut redeamus 178
ad cor; & inveniamus eum. *Augu.* 4. *confess.* 12.

Securè foràs exit nemo, qui non sit priùs 179
benè exercitatus intùs.

Duritia cordis, seu in rebus spiritualibus 180
insensibilitas, ignis est omnia animæ bona consumens. Non solùm comburit gratiæ bona, sed & ea quæ sunt naturæ: unde gen-

tes vanæ ſunt factæ, etiam in ijs quæ jus naturæ concernunt. *Rom.* 1.

181 Vt ager quiete indiget, & terra quandoq; ut inculta derelinquatur eſt neceſſe: ita etiam officiis legitimæ vocationis non ſemper occupari pius debet, ſed quaſi renovari, & augeri apud ſemet ipſum meditationibus pijs, abſtractionibus ſanctis.

182 Fluvius currens, non repræſentat imagines: Animus qui eſt ſemper in motu, negotijsque humanis turbatus: vix ſe ad imaginem Dei efformare poteſt. Solùm illud tempus non perit, quod tribuimus DEO.

183 Aula noverca eſt, mater Philoſophia: illam cole, & tamen crebro recipe te ad matrem, ac in hâc acquieſce: quæ efficit, ut & res Aulicæ tibi tolerabiles videantur; & tu dum in ijs verſaris, ferri queas. *Imp. Anton. libr.* 6.

184 Etiam invitis hominibus id eſt agendū, quod recta ratio jubet. Quòd ſi quis vi te impediat: tranſi ad æquanimitatem, eoq; impedimento ad alterius virtutis opus abutere. Memor te cum exceptione quâdam inſtituere actionem, neque ea appetere, quę fieri non poſſunt.

185 Vtiliſſimum pietatis exercitium eſt, impertiri aliquod donum ſpirituale aliis, per conver-

conversationem. Sic enim dum alios stabilimus, & ipsi exhortationem percipimus, per mutuam fidem. *Rom* 1. ℣. 11. 12.

Devotionem fovet continua Dei memoria, & assidua Cogitatio Divinæ præsentiæ: quòd videlicet conspectui Dei indesinenter assistas, cum frequenti usu breviũ suspiriorum: quæ D. Augustinus preces jaculatorias vocat. Et sanè, qui ad hoc laboris aliquid contulerint, atque crebris aspirationibus (ferventes namque cogitationes sunt orationes) operam ubique dederint, etiam cùm videntur mundanis rebus maximè implicati; exiguo tempore maximum facient profectum. 186

Fumo sacrificârunt olim antiqui. *V. eleg. Perez. fol.* 68. *n.* 126. 127. Fumus namque ascendit, remanet cinis (cui nos assimilamur) & fumus sursum ad aliud lumen tendens, accendit contritum & extinctum cordis nostri lumen. 187

Dei nomen ubique est sanctum. Et tamen nos oramus, ut illud sanctificetur: scilicet in nobis. Vndè apparet, orationem nihil aliud esse, quàm Divinarum rerum applicationem: id est, ut sentiamus, faciamus, & gustemus Divina, & ea quæ ubique & etiam in nobis sunt. 188

189 Non propterea solita orationis aliaque Devotionis exercitia sunt negligenda; quavis tibi insipida, & nullius utilitatis esse videantur. Indè potiùs occasionem sumas profundioris humilitatis; dum conspicis malitiam tuam in peccatis cumulādis, quæ te Dei sensibili præsentiâ privant. Seu uti D. Bernhardus ait: Exinde colligere potes, excubias quæ tibi præsidio erant, sopore oppressas esse, atque muros qui te tutabantur, concidisse.

190 Non necessarium est, ut sapidum & suave gustatui sit, quod utile est futurum. Sufficiat tibi recordari, te quicquid potueris, egisse. Hoc ipso vera in bonis operibus perseverantia declaratur. Hæc est probatio, quâ cognoscitur bonitas ac sinceritas amicorum Dei, quâ veri à falsis discernuntur.

191 Contra importunarum atque inutilium cogitationum catervam, non pugnando sed non indulgendo est resistendum: cùm opus hoc non tam dependeat à nostris viribus, quàm gratiâ Divinâ, ac profundâ humilitate. Ergò cum magnâ submissione, ac cordis devotione dices: Ecce Domine, adspice quid ego sim? quid aliud sperari potest, ex hoc olenticeto, quàm hujuscemodi odores? Quid boni proferre potest hæc terra, nisi

ra, nisi tu Domine illam mundaveris ab omni germine malo.

Etiam Lectio, minus quàm oratio verbalis, cogitationibus interrumpi posse videtur. 192

Diffidentiæ remedium est, non nostris viribus, sed Divinę solùm gratiæ inniti: quę tantò homini paratior est, quantò magis de seipso, ac viribus suis diffidens, in solâ Dei bonitate (Cui nihil est impossibile) collocat spem suam. 193

Ad tentationem cogitationum blasphemarum, convenientissimum remedium est, illas contemnere: cogitationes hujusmodi insurgentes non formidare, sed aspernari: ne timor illis addat vires, reddatque fortiores. 194

Assuefacere te ipsum debes, ut de his tantùm rebus cogitemus, de quibus si quis nos subitò interroget, quid nunc meditemur? confestim possimus respondere, hoc aut hoc. &c. Id autem hominem præstat purum à Voluptatibus, inviolatum à doloribus, intactum à libidinibus, inscium omnis malitiæ; certatorem maximi certaminis (ne scilicet ullus eum affectus dejiciat) altè tinctum justitiâ, ex animo contentum ijs, quæ eveniunt. *Antonin. lib. 3.* 195

196 Quemadmodùm arbores, suis temporibus irrigari opus habent: quæ irrigatio, si diutiùs quàm par est, differatur, statim illæ exsiccantur & pereunt. Sic etiam devotio, nisi continuò aquis piarum meditationum, irrigetur, facilè perit. Admodùm etenim delicatus est spiritus devotionis: citò ni habeat alimoniam, exspirat.

197 Symbolum fuit Thomæ de Kempis: In omnibus requiem quæsivi; sed non inveni, nisi in abditis recessibus ac libellis. *Miraus in Elog. Belgic.*

198 Quemadmodùm corpus, pondere & viribus decrescit, si non quotidiè cibo potuq; reficiatur: multò magis languere incipit fides, si careat suo nutrimento: nempè considerationibus spiritualibus, oratione & sepositione rerum mundanarum. Fidei enim admodùm delicatus cibus est, carentia & abdicatio rerum humanarum.

199 Meditatio nihil aliud est, quàm una aut plures considerationes ad hoc institutæ; ut affectiones nostras ad Deum, & ad res Divinas convertamus. Ea in voluntate nostrâ bonos excitat affectus: amorem Dei videlicet, & proximi, Zelum imitationis vitæ Salvatoris. Non tamen his affectionibus generaliter est immorandum, ut ad resolu-

tiones

tiones ſpeciales non redigantur. V. g. Primum verbũ quod Salvator noſter in Cruce eſt locutus; ſine dubio deſiderium ignoſcendi inimicis excitabit. At parvi momenti illud eſſe dico, niſi reſolutio ſpecialis adjungatur: nempè, Eia ergò non offendar ampliùs verbis, quę vicinus aut vicina mea, de me loquentur, nec de aliquo contemptu mihi illato, &c.

Cavendæ ſunt in hoc exercitio nimiæ 200
mentis ſpeculationes, & potius utendum eſt efficaci voluntatis affectu; quàm curioſis ratiocinationibus intellectus. Cùm hoc proprium ſit eorum, qui ſcientiæ causâ ſtudijs operam dant: non eorum qui ut mentem afficiant, & inflamment, lacrumasque piæ devotionis eliciant, precibus ac meditationibus ſe addicunt.

Non etiam nimis anxius ſis pro ſenſibili 201
affectu: ſed ſufficit ut ſacra Myſteria ſimplici ac quieto intuitu adſpiciamus. Et operam ſolùm demus, ut animus exindè ad virtutes ſpirituales diſponetur; quò ſi occaſio ſit, eas jam ſtatim cum gaudio exercere velit. Attentio debet eſſe moderata: diligentiam quidem adhibendo, ne cogitationes ad lubitum evagentur; at omnem violentiam & anxiam ſollicitudinem abjiciendo.

202 Cùm inter meditandum de Divinis operibus alijsque rebus sacris; tentatio te turbat infidelitatis, seu dubitationis, aut incredulitatis. Ex unâ parte pone humanæ conditionis humilitatem & imbecillitatem; ex alterâ verò Divini numinis magnitudinem atque potestatem.

203 Illa quæ Deus præcepit, semper age. In Divinis verò mysteriis contemplandis vel investigandis, ab omni curiositate abstineas. Non cures Divinorum operum causas scrutari ac nosse, oculos claudas rationis, ac Fidei aperias lumen.

204 Fides in Deum plùs est certa, quàm sensus. Ratio & sensus decipiunt; sunt mentis inimici, diaboli instrumenta. *Ant. Perez, f. 44. n. 246. & seq.*

205 Præcipuè seductio Mundi, consistit in negatione ejectioneque institutionis eruditionisque, quæ à Deo; ac unctionis, seu Testimonij Spiritus Sancti.

206 Post devotam orationem vel meditationem, dulcedo quædam devotionis subsequi solet: quæ facit, ut homo apud se sit contentus, tranquillus, omnem sortem patienter exspectet, mundana contemnet: dissolvi cupiat & esse cum Christo. Et hic est finis atque scopus talium exercitationum;

quem

quem si non semper sentiamus, non propterea incæptum deserere, sed perseveranter adventum Domini præstolari debemus. Decet namque excellentiam Divinæ Majestatis, conditionis humanæ vilitatem, & negotij quod gerimus magnitudinem; ut aliquantisper ante fores Sacri illius Palatij exspectemus.

Virtutes meditatæ, & non ad praxin redactæ, spiritum & animam adeò plerunque inflant; ut putemus nos esse tales, quales volumus esse. 207

Plures ubique inveniuntur Dei prædicatores, quàm veri Dei amatores. 208

Revocandus est sæpissimè per diem Animus noster, ad præsentiam Dei. Aspice opera Dei & opera tua, videbis oculos ejus semper in te conversos. Dices subindè: ô Deus, cur non semper adspicio te, sicuti semper adspicis me! ô anima mea: vera nostra habitatio Deus est, & ubi inveniemus illum? &c. Et hoc est quod dicit Rex David, *Psal.* 24. Oculi mei ad dominum semper. Solitudo hæc mentalis est, nec per multitudinem hominum, nec varietatem negotiorum poterit impediri. In animo nostro Oratorium nobis est extruendum, in quod mentaliter nos recipiendo inter negotia 209

externa;

externa, Sanctæ nostræ Solitudini in Spiritu vacare queamus.

210 Ad Deum pergit, qui ad illum adspirat, vel conjungi ei desiderat. Adspiratio namq; ad Deum, & accessus spiritualis, mutuò sibi cohærent, ex pijsque meditationibus proveniunt & nascuntur. Adspira igitur sæpissimè ad Deum, per breves, sed ardentes jaculatorias preces cordis tui; admirare pulchritudinē ejus, invoca auxilium, age cum illo sæpè de salute tuâ, offer illi millies de die animam tuam.

211 Preces ejusmodi breves ubique fieri possunt, ubique sese offert occasio nova, eas efformandi. Illarum ornamentum est ardor, artificium amor. Hocque intuitu, tota vita Christiani perpetua oratio esse potest.

212 De Deo si quis meditari velit, debet in eo minimè facere differentias vel partes. Voluntas & potentia Dei, Deus ipse est. Et hæc duo sunt idem, nec major vel aliud est potentia à voluntate. Sic nihil improvisum est Deo, qui novit omnia: & nulla natura est, nisi quia eam novit Deus.

213 Homo Dei similitudinem, non in corpore, sed in animo gestat. Omnipotentiam Patris memoriæ miraculosa adumbrat natura, Filij sapientiam intellectus quodammodò

modò refert, Spiritus ſancti charitatem voluntas imitari debet.

Sicut ſpeculum non repræſentat nobis vultum noſtrum; niſi ſtanno aut plumbo ex adversâ parte ſit obductum. Sic etiam contemplari nequimus Divinitatem, niſi conjunctam cum S.Sanctâ Salvatoris noſtri humanitate, Cujus vita & mors, objectum ſunt maxumè proportionatum, ſuave, dulce, & utile, ordinariæ noſtræ meditationis. 214

Meditationis officium eſt, diligenter & attentè res Divinas & cœleſtes conſiderare; atque modò hæc, modò illa ponderare, ut in corde meditantis affectum aliquem ſuſcitent pium: non aliter ac ille, qui ſilicem ferro ferit, quò ſcintillam excutiat ignis. At contemplationis, quæ excipit meditationem proprium eſt, igne jam excuſſo & ſuccenſo gaudere. hoc eſt affectione illâ, quæ quærebatur, laboriosè inventâ, in ſilentio & tranquillitate ſpiritus perfrui; non cum multis ratiocinationibus & ſpeculationibus intellectus; ſed quodam puro atq; ſimplici intuitu veritatis. Negotij namque hujus finis, magis in amore & voluntatis affectione, quàm intellectus ſpeculatione cōſiſtit. Cùm igitur voluntas, ab affectione jam captivatâ, affectionē quæſitam adepta fuit; 215

fuit;relinquendæ sunt omnes ratiocinationes & evagationes intellectus.

216. In meditatione, contentus homo sit illâ cognitione, quam ei fides subministrat: atque huic cognitioni, voluntatem & amorem suum adjungat. Cùm hæc sit sola, quæ Deum amplectitur, & in quâ totius meditationis fructus consistit. Intellectus enim vix aliquid de cognitione Dei comprehendit; quem tamen voluntas plurimùm diligere potest.

217 Malo non inveniendo invenire potiùs, quam inveniendo non invenire Deum. Illud fit amando nec intelligendo: hoc intelligendo nec simul amando.

218 Iucunda est meditatio Mysterij redemptionis. Homo cùm se Deo voluit reddere similem, superbus cecidit in mortem. Deus semet homini similem reddens, humilis nobis restituit vitam. Fæmina lapsum procuravit; dum Adamo porrexit arboris vetitæ pomum: Virgo vitæ peperit fructum. Ex somno profundo Adamo injecto, mulier procreata fuit; os ex ossibus illius. Ita secundi Adami morte, quam mortem S. S. Scriptura somnum vocat, acquisivit sibi sponsam Deus: Ecclesiam nempè. Omnes Thesauros cœlestes in terreo conclusit vase, ut

nos ex

nos ex plenitudine ipsius hauriamus. Perpende quomodò sub carnis infirmitate Sathanam vicerit, ejusque vires; quomodò ex ignominiâ gloriam produxerit; ex hominis morte extraxerit omnium hominum vitam: eâdem virtute; quâ ille ab initio ex tenebris deduxit lucem.

Qui Adam & Christum noverit ritè cõ- 219
ferre, eosque intùs & extrà cognoscere: sciet facilè quæ sit occasio lapsûs, qualis reparatio in renatis. Et quid tota Theologia in spiritu & veritate ? [redacted]

CHRISTUS, nisi esset DEUS verus, non 220
adferret remedium; & nisi esset homo verus, non præberet exemplum. non ita moveret exemplum, nisi esset Deihominis.

Vt diabolus per gustum ligni (quem 221
suasit) hominem vicerat. Ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine victus fuit.

Quàm felix, quàm amabilis est nativitas 222
tua, ô puer Iesu! per quam si pigeat quem damnabiliter esse natum, possit felicissimè renasci.

Christi vitam & mortem, non exemplũ 223
sal-

ſaltem, ſed & meritum eſſe, ex eo apparet; quòd Divinitas non ita ſeſe propter ſolum exemplum humiliaſſet. Recta ratio idem hoc ſuaderet, & omnis verè Philoſophantium doctrina hoc perfeciſſet, ſi Deus voluiſſet. Deus per Humanitatem eſt Mediator, quia conjungit Deum & hominem, quæ ipſa conjunctio (quod ſcilicet humilis venit in carnem) meriti pars eſt.

224 Ergò Ieſum cùm nominas, ſume tibi exemplum de homine, & auxilium à potente: [redacted] opus habeas, nunquàm ex ore; [redacted] ne propter [redacted] nenter, anima devota, inter tot hujus vitæ vanitates inter tot flagella & laqueos: ô Ieſu Salvator Mundi, ſalva nos!

225 Ex Deo naſcimur, in Ieſu morimur, per S. Spiritum reviviſcimus.

226 Divus Petrus cùm Ieſum videret transfiguratum in monte, omnium terrenorum oblitus, ibi manere ſatagebat. Ita neceſſariò, qui cœleſtia meditatur, cùm ad terrena redit, nauſeâ eorum capitur, & cum indignatione hîc captus hæret. Ideo cum Davide dicit: ô quando me ſiſtam coram facie Dei!

Vtile

Vtile & jucundum est res naturales, in ijsque Dei sapientiam summam & ineffabilem contemplari, contemplando admirari, admirando venerari. Elegantissimum exemplum præbet Augustin. 10. *confess. c. 8. & seqq. multis*, ubi de Memoriâ planè disserit divinè. Prodest & hoc, ut indè ignorantiam nostram & infirmitatem discamus; cùm tandem reipsâ experimur, nec in naturalibus, nec in ijs quæ propè nos sunt, aliquid à nobis sciri. Quo respicit D. Augustinus 10. *confess. c.* 16. cum ait: Ego certè Domine laboro hîc, & laboro in meipso factus sum mihi terra difficultatis, & sudoris nimij. 227

Deus habitat in luce inaccessibili: scilicet in seipso, apud seipsum, & cum seipso. 228

In Deo dicuntur, & sunt omnia eminenter, excellenter, superabundanter: summa bonitas, potentia, sapientia, &c. hæc omnia sunt in Deo unitate simplicissimâ sine mutuâ penetratione: sublato horum uno (cogitatione) tollitur ipse Deus; nec tamen est hoc aut illud. 229

Deus dicitur Lux; eò quod non potest esse obscurus: lucet in omnibus creaturis. Vnde Moyses dicit. Deum non videri, nisi in caligine & tenebris; hoc est, in rebus creatis. 230

creatis. Quia omnia quæ apparent, de non esse, ad esse producit: hinc Pater luminum denominatur.

231 Cæcis oculis videtur Deus.

232 Imperfectum nō est principium rerum, neque natura cœpit ab imperfectis & diminutis; sed ab integro & absoluto procedens, labitur in hæc inferiora: quia perfectum est prius imperfecto.

233 Omnis multitudo oritur ex uno: unum autem sine multitudine esse potest. Sic erat Deus ante Angelos & ante mundum, Deus unus, & unitas absque numero, & punctum absque multitudine. Nunc post creationē, tolle unum, & nullus erit numerus, tolle punctum, & nulla linea erit: tolle Deum & nulla erit creatura: sed nō è contrà. Habito ergò uno, habentur omnia; cognito uno, cognoscuntur omnia: non quidem ab extrà, sed ab intrà.

234 Exercitia Pietatis publica, nunquàm sunt negligenda. Plerunque enim fieri solet, ut plùs gratiæ, consolationisque, publicis Ecclesiæ officijs, quàm alijs actionibus particularibus adipiscamur: quia Deus Sacram communionem particulari voluit præferri; juxta illud, ubi tres vel duo, in meo nomine fuerint congregati, &c.

Anima

Anima politur latenter, audiendo verbũ Dei: quamvis non omnia memoriæ mandare possis. *Botero de' detti f. 119. b.* 235

Qui vel negotijs præpediti, vel metu persequutionis adacti, vel etiam imaginatâ sufficientiâ tumidi negligunt Conciones; in ijs insensibiliter extinguitur pietatis ardor; callum conscientia obducit. Negligentia hæc nauseam parit, nausea contemptum, contemptus inimicitiam Dei. 236

Concio & lectio sæpè invitum trahunt retrahuntque, ut factum est Augustino D. Ambrosium audienti. 5. *confess. c. 13. & 14.* 237

Proba proborum Doctorum. Quicunq; tibi suadet & docet, ut cor tuum ab omnibus creaturis ad Deum convertas, & salutem, solùm apud Christum verum animæ Medicum quæras; hunc verè credas, viam veritatis tibi monstrare. 238

Concionatores illi plus efficiunt, qui verbis & opere simul loquuntur. Qui sibi primùm, & tum demum aliis concionantur. *Bottero de' detti f. 116.* 239

Ministri Ecclesiæ sint forma fidelibus, vivendo coram eis, & excitando ad imitationem. Sic enim non tantùm ad audiendum, sed etiam ad faciendum audiunt. Cõtinete vos ab immani feritate superbiæ, ab inerti 240

inerti voluptate luxuriæ, & à fallaci nomine scientiæ. *Aug.* 13. *confess.* 21.

241 Stultum est Medicum contemnere, qui non sit eloquens. Gratiæ litteras repudiare, quæ flosculis oratorijs carent; amare virgam paternam, quæ serico nec filo sit ligata. Nos id facimus, qui Concionatores fideles contemnimus, qui non sunt Oratores vel eloquentes, sed in simplicitate docent veritatem.

242 Nulla autem crudelis in Mundo bestia est, quàm Clericus vel Sacerdos malus. Nam corrigi non patitur; nec veritatem audire potest. *D. Hieronym. d. norma vi*℣. Et idem *ad Rusticum Narbonens.* scribit: Nunc ex quo crevit avaritia in Ecclesiâ, perijt lex de sacerdotibus, & visio à prophetâ.

243 Quos Deus mittit, Spiritu suo Sancto, ab utero matris replet; & hi convertunt populi corda ad Deum suum. *Luc.* 1. ℣. 15. *&c.* Vltrò currentes pseudoapostoli, nihil quàm Apostaticas extruunt Ecclesias. Quare etiã non avertuntur Populi à viâ suâ malâ, & à cogitationibus suis pessimis. Deus quidem bonum ex malo facit, & Ecclesiam suam inter lupos & per lupos conservat. Vndè Christus dicit de Pharisæis: Quicquid vobis

dixerint facite. Sed non imitamini opera eorum. Sed væ illis, væ multis!

Ministerium verbi, ita juvat salutem; ut fructus agricultura. 244

Frustrà lingua docentis ab extrà laborat; si non intus sit qui doceat. Et ita est intelligendum, quod dicitur: Externa non operantur interna; non parit umbra lucem. 245

Doctrina mysteriorum in Libris Divinis contentorum, non est ad Academiam æternam reservanda. Non enim Biblia scripta sunt pro cathedrâ cœli: quia alias non scripta fuissent atramento. Natura verò nihil facit frustrà, multò minus Deus. 246

Quicunque sæpè cum devotione S. S. Eucharistiæ utitur Sacramento, taliter sanitatem & vitam animæ suæ confirmat; ut quasi impossibile sit, eum aliquâ inordinatâ voluptate, tanquàm veneno infici. Hoc est lignum vitæ, quod impedit mortem spiritualem. 247

Christus verus Sacerdos, nobis semper est præsens, & absolvit nos à peccatis quoties suspiramus. Sed ex eo non tollitur verus clavium usus. 248

Sæpiùs est communicandum; quia vix aliqua actio, nisi frequenter exerceatur, benè expediri potest. 249

250 Sub ſpecie panis, nobis exhibet corpus ſuum Salvator: ut demonſtraret, non minus neceſſariam eſſe ſui corporis participationem, noſtramque cum illo conjunctionem, ac panis ad corporis nutritionem.

251 Die Prob zum Sacrament ſtehet darinn/daß man ſich prüffe / ob man ein rechtschaffenen Glauben habe / von Gott gegeben/der ſo mutig ſey/daß einer darüber zum ſterben bereit ſeye. *v. Luther. in Poſtill. D. Euchariſtiâ.*

252 Chriſtus aſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram patris, Pater eſt in cœlis, Chriſtus apud Patrem; ſed non ideò reliquit terram, æquè ac de patre abſonè hoc diceretur. Cœli non ſunt locus ubi pater, ſed ubiquè; tamen extra locum omnem. Ad illud cœlum, etiam terræ noſtræ cœlum, terra eſt. Et hoc utrumque magnum corpus, non abſurdè terra eſt; ad illud cœlum, quod Domino eſt, non filiis hominum. *Auguſtinus 12. confeſſ. c. 2.*

253 In principio creavit Deus cœlum & terram. Per cœlum non intellige firmamentum, ſeu viſibile cœlum, utpotè quod ſecundo demum die ex terrâ informi productum fuit. Sed intelligitur Creatura ſpiritualis intelligens. *Auguſt. 12. confeſſ. c 9. 11. 12. 13.*

32.13.& 17. In Principio, id est, in verbo suo coæterno, creavit Deus cœlum & terram: id est, fecit Deus intelligibilem & sensibilem, vel spiritualem corporalemque creaturam.

Omnes creaturæ clamant, quod se ipsas non fecerint. Et vox dicentium est ipsa evidentia. Nihil seipsum facit, ergò cùm non sit infinitas, à Deo sunt factæ res omnes. Et ex nihilo, quia non datur mutabile infinitum. Et facta sunt verbo, nihil enim Est nisi Deus. Et aliter quàm dicendo non fecit. Verbum illud Deo est coæternum & consubstantiale: quia nihil extra Deum ante mundum creatum, quod Deus non erat. Anni Dei, dies unus, & dies ejus, non quotidiè sed hodiè (hodiè genui te. *Psal*. 109.) Id verè dicimus tempus, quod tendit ad non esse. Ejusque causa ut sit, illa est, quia non erit. Ex hoc intelligimus Temporalium vanitatem, & æternitatis Majestatem. 254

Qui accusat Scripturam obscuritatis, eādem insimulat mendacij. Nam ea ipsa dicit: quòd sit quæ illuminet, & parvulis sapientiam tribuat. *Psal*. 19. *v*. 9. & 10. *Psalm*. 119. *v*. 101. 2. *Cor*. 4. 3. 255

Vt Scripturæ credamus; intùs in domicilio cogitationis, veritas sine oris & Linguæ organis, sine strepitu Syllabarum necesse est 256

ut dicat; verum est. veritas te rogo Deus meus, rogo, parce peccatis meis, & qui servis tuis dedisti hæc dicere; da & mihi hæc intelligere!

257 Cor nostrum est instar cotis, non ardet nisi percutiatur. Et ita Lectio S.S. scripturæ, tunc est efficacior, cùm sumus persequutione afflictionibusque divexati.

258 Christus ejusque imitatio, est verbum abbreviatum: id est, in quo continetur lex & omnis Scriptura. *Alliaco sup. psalm.*

259 Suspiria Mysteria docent. Domine quem percunctabor de his, & cui fructuosiùs confitebor imperitiam meam, nisi tibi, cui non sunt molesta studia mea, flammantia vehementer in Scripturas tuas! Da quod amo, amo enim, & hoc tu dedisti.

260 Non disputare aut philosophiam in φιλοδοξίαν commutare; sed vivere alios docere debemus.

261 Nolo verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Ad ædificationem autem bona lex est, si quis eâ legitimè utatur: quia finis eius est charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. *August. 12 confess.* 18.

262 Qui per spiritum loquitur, ejus sapientiæ nemo resistere potest. *Act.* 6, v. 10. Vnde Anti-

Antichristiani, alijque spiritu carentes, gladium usurpant.

263 Ethnicorum de Deo luculenta testimonia, confirmare nos debent in nostra religione. Sic rectè Orpheus *apud Theodoret. serm.* 2 *f.* 26. cur Deus à nobis non videatur:

—— *Quoniam* (ait) *caliginis atra*
Obsistunt nebulæ & mortalia lumina nobis
Et pupæ tenues, caro circumstatque ossa resistunt.

264 Ethnici de Deo aliter publicè, aliter privatim sentiebant. Vnde Plato ad Dionys. *epistolâ quâdam, quæ apud Theodoret. serm.* 2. *f.* 27. Symbolum itaque tibi hoc esto, ut illius epistolæ, quam ut serio à me scriptam velim accipias, dictio hæc (Deus) singulari numero si sit principium; levioris autem Epistolæ (Dij) numero multitudinis.

265 Infinita est scripturarum profunditas, utpote quæ est verbum Dei infiniti: & ideò varia interpretatio ejus esse potest. Ad mores, ad mysteria, ad prophetias &c: accommodata. Potest esse interpretatio, quæ tanquàm materno sinu gerit parvulorum infirmitatem; potest esse interpretatio, quæ ex verbis S.S. Scripturæ, non nidum, sed opaca faciat fruteta. Deus & Scriptura omnibus fidelibus omnia sunt. Deus sacras Lit-

teras, vera & diversa visuris, multorum sensibus temperavit. *v. Augu. confess.* 12.31. *& seqq.*

266 Dei præcepta, quia simplicia & vera sunt, quantùm valeant in animis hominũ, quotidiana experientia demonstrat. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænus; paucissimis Dei verbis, eum tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam propriis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; jam cruces & ignem & pericula contemnet. Da crudelem & sanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. *Lactant.* At cur non hodiè idem operatur S.S. Scriptura? sanè in quibus hos non producit effectus, eos ei non credere tibi persuade.

267 A sensu Scripturæ aberrare leviùs est, quàm scripturam dicere falsam. Discedant à me omnes qui Moysem ea quæ falsa sunt dixisse arbitrantur. Conjungar autem illis Domine in te, qui veritate tuâ pascuntur in latitudine Charitatis. *Augustin. confess.* 12. c.23.

268 Dum quisque conatur id sentire in Scripturis Sanctis, quod in eis sensit ille, qui

scripsit

ſcripſit: quid mali eſt, ſi hoc ſentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe. Etiamſi hoc non ſenſerit ille quem legis; cùm & ille verum, nec tamen hoc ſenſerit. *August.12.confeſſ.18. & v.c.24. & 25.*

In Scripturis ſacris velut à ſpeculo, cor 269
noſtrum; ac ejus conditionem contueri debemus. Quod ad hunc modum præſtari poteſt. Dum lego impium Achabum, vati Micheæ, capitalem hoſtem eſſe; ob id quòd illi veritatem, hoc eſt, commeritam pœnā vaticinaretur. Si obiter hæc prætergredior, me ipſum ex eo non indagans, aut intuens, quid fructus ex eâ capiam lectione? Quamobrem ſic gradum ſiſtens, intus animo rem perpendam: Nuper Iohannes aut Petrus mihi mea vitia exprobravit, verène an mēdaciter id fecit? Num vera improperanti gratias egi? an eam ob cauſam factus ſum ei inimicus? Si inimicus: tantummodò mihi defuit Achabi potentia, quâ illum tractarem, non aliter quàm Achabus Micheam. Ach Achabum refero, id eſt impius ſum. Quid igitur huic homini facto opus eſt: quàm ut ſedulò ſuam impietatem deploret, vitamque in melius commutare, Deo opitulante proponat; ac eum precibus ſolli-

citet, ut non à Tyrannide (quæ virga Dei perutilis eſt) ſed ab ipsâ in nobis hærente impietate, quæ inimicitia eſt adverſus Deũ liberetur. Et ſic de cæteris. *Theodor. Coornhert. in brevi document. f. 25.*

270 Qui ſcientiam augmentat, tormentum cumulat *Eccleſ. 1. v. 18.* Et labore hîc aſſiduo non progredimur multùm; nec ad hunc uſque diem homo per philoſophiam muſcæ vel lactucæ naturam ſatis cognoſcere ullus quivit: multò minùs ſuimet ipſius. Et hoc ipſum ſtudium, nil niſi otium eſt occupatum & impeditum, proficiẽs parùm. Sciuri caveæ rotundæ includuntur, quæ in circulum movetur, ubi ſemet præcipitantes præfeſtinant, nec loco cedunt. Idem nos facimus philoſophantes; parum addiſcimus, & labore multo: nec id parvum, nos reddit meliores, ſæpè deteriores. Vnica prudentiæ gutta, quæ timorem Dei comitem habet, plus efficit valetque, quam ſcientiæ humanæ omnes. Quid Iureconſulto juvat componere lites; ſi ipſe diſcordiam cum Deo fovet? Quid prodeſt Medico, judicium facere de alienâ ſanitate; ſi non ipſe pulſum conſcientiæ ſuæ explorat? Quo fine præterita ſcimus, ſi quid hodiè ſit faciendum ignoramus?

Pereant omnia, & dimittamus hæc vana, & inania, & conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est, mors incerta. Si subitò obrépat, quomodò hinc exibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quæ hîc neglex imus? ac non potiùs hujus negligentiæ supplicia luenda erunt? 271

Doctrina Hæreticorum & hypocritarum manducatur, quia Deus ea putatur. Non avidè quidem, quia non sapit in ore, sicuti Deus est. Non nutritur homo ex eis, sed exhauritur magis. Cibus in somnis, simillimus est cibis vigilantium; quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim. *Aug. 3. confess. 5.* 272

Antichristus Regnum Dei visibili loco, perperam alligat: & eo colligit, non ritè suum cœtum ante reformationem veram Ecclesiam fuisse. 273

Christiani (si rite rem perpendere velimus,) à nemine se separant; nec enim sunt schismatici vel factiosi, vel sectarum auctores: sed Mundus se separat ab iis. 274

Non semper alios in viam reducere disputando quimus. Sic cùm Augustinus adhuc Manichæus esset, mater ejus non potuit permovere pium Sacerdotem, ut cum illo disputaret. Respondit enim; eum adhuc 275

esse indocilem, eò quòd inflatus esset novitate hæreseos illius. *August. confess.* 3. *c. ult.* Historiam conversionis D. Augustini, à Manichæis, ad Catholicam fidem (*quæ in libris confess. extat*) omnes legere deberent, qui volunt violenter vel aliàs importunè, homines de verâ fide erudire: videbunt ibi quàm mirabilis sit Christus in operibus suis, quàm non ex humanâ ratione Spiritus Sanctus agat.

276 Qui cupit viam veritatis scire, plus debet ingemiscere orando, ut ipsi subveniat Deus; quàm ad quærendum esse intentus, & inquieto animo ad disserendum existere.

277 Ministerium spirituale, solius est Spiritus Sancti. Et vos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. 1. *Ioh.* 2. *v.* 20. Et paulò post. *v.* 27. Vnctio, quam accepistis ab eo, in vobis manet, & non opus habetis ut aliquis doceat vos. Quo sensu alicubi dicit Augustinus: Cathedram in cœlo habet, qui corda docet. At Charitas, est unctio Spiritus Sancti: plusquè scire potest, qui in Deo fratres amat, quàm qui plurima discit. Secundum illud Davidis, *Psalm.* 133. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Illic mandat Iehova benedictionem suam. Et est ut unguentum illud optimum, super-

ſuperfuſum capiti, deſcendens ſuper barbam Aharonis, *v. Exod.* 30. & 25. 30.

Oſtentatio continentiæ, aliarumq; virtutum in Hæreticis, vecors & ſeductoria eſt, præcioſas animas captans, nondum virtutis altitudinem ſcientes tangere; & ſuperficie decipi faciles, ſed tamen adumbratæ ſimulatæque virtutis. 278

Quælibet ſecta ſemetipſam prodit, & ſe extra Eccleſiam ac extra fidem eſſe oſtendit; dum alios odit & perſequitur propter fidem. 279

Nihil eſt miſerius, quàm in incertitudine fidei verſari, ac cum carnis & Diaboli vel aliorum ſuggeſtionibus pugnare; hæc volvere pectora miſero, & interim ingravidato curis mordaciſſimis de timore mortis. 280

Vt vitia morum, ita & errores quoſdam doctrinæ condonat Chriſtus: illis pœnitentibus, hiſce non pertinacibus, nec qui alios veriùs opinantes condemnant. 281

Eò nobis S. S. Scriptura venerabilior, & ejus auctoritas fide dignior apparere debet; quò & omnibus ad legendum eſt in promptu, & ſecreti ſui dignitatem in intellectu profundiore ſervat. verbis apertiſſimis & humillimo genere loquendi ſe cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui 282

non ſunt leves corde. Sanè miraculum eſt Spiritus Sancti: Sacras litteras humillimos & ſimpliciſſimos ſatiare, conſolari, erigere, firmare: & ingenioſiſſimis ac diligentiſſimis etiam, ſat materiæ ubi acumen exerceant præbere poſſe. Mira profunditas eloquiorum tuorum, &c. S. *Augu.* 12. *confeſſ.* 14.

283 In Sacris libris, etiam admonitiones in perplexitatibus ſuis quæſiverunt antiqui patres. S. *Augu.* 8 *confeſſ. c. ult.*

284 Secundum verbum Dei proficiſcebantur Filij Iiſraelis; & ſecundum verbum ejuſdem caſtra metabantur. *Num.* 9. Typus id eſt, quo monemur, ut omnia ſecundũ Verbum Dei ordinemus.

285 Lectio Librorum ſpiritualium atq; devotorum, maxumè adjuvat devotionem; eò quod materiam conſiderationi ſubminiſtrent illi, mentem abſtrahant à rebus creatis: tacitè efficiunt, ut libenter iſtis peragendis quis inhæreat, quæ ſuaviter in lectione guſtavit; etiamſi ſpecialis earum memoria non recurrat, latenter hominem ad habitum bonum parant.

286 Libri tam veteres quàm novi, de ſummâ Chriſtiani perfectione loquentes, utiles mihi eſſe videntur, ut ſciamus plus ad Chri-

ſtiani

ſtiani requiri conſtitutionem, quàm mundus putat. Sed tamen hîc cùm maxumè eſt cavendum (1.) ne ijs libris eruditi, ſuperbiâ ſpirituali tententur, & aliorum infirmitatẽ contemnant (2.) ne meritum Chriſti vilipendamus, & noſtris viribus vel devotioni aliquid tribuamus (3.) ne concionatorum vel aliorum ſimpliciorum pietatem & doctrinam nauſeabundi, præ illâ ſublimitate repudiamus.

Lectioni ipſi præſentes non ſumus, quãdo legentes Divina oracula, cogitationibus circum nos in creaturis torquemur, & vertimur. Sed tunc præſens verè eſt homo, quandò in ſe deſcendens, ſedulâ attentiſſimâque animi cogitatione ejus quòd legit, rationem conſultè habet. 287

Quamdiu ſciendi aviditate, Adamiticoque oculo contuemur res ſanctas; magisq; in arduas quæſtiones inquirimus, quàm in rationes, quibus notum malum deſeramus, & jam intellectum bonum peragamus; etiamnum lumine caſſi ſumus, adeòque totum noſtrum corpus eſt tenebroſum. Simplex verò oculus in Chriſto adaperitur, ipſamque adeò veritatem agnoſcit; quæ ſola liberos reddit. 288

Non ea quæ ſupra vires noſtras ſunt cu- 289

randa. Sufficit mihi membrum me esse corporis, cujus caput est Christus: nolim scire quæ ille mihi non revelet; & quæ ille dat, scio non per curiosam inveniri investigationem. Quietem ille Mariæ approbavit, improbavit sollicitudinem Marthæ.

890 Non multâ scientiâ, sed bonâ voluntate conjungimur cum Deo nostro Creatore.

891 Proba Scripturæ probatæ est: si ea nos contentos tranquillosq; reddit, non sciendi aviditatem ingenerat, acuitvè. Vndè panis sunt litteræ sacræ, nutriens cor nostrum.

892 Qui judicium quærit apud Christum, sine metu seductionis omnia legere potest.

893 Differentia est inter eos, qui scripturæ non credunt: & eos qui honorant, & in culmine sequendę auctoritatis, nobiscum constituunt S.S. Scripturam.

894 Practicam Theologiam (de quâ loquitur [redacted], cum ait; aut vivum paradisum, aut vivum infernum esse nostram Theologiam. *Casp. Finck. can. Theol.* 99.) non in scholis perdisci voluit Deus: ne ex eâ artem aliquam seu cognitionem efficiamus: sed ut praxis maneat; ad quam ex gratiâ

tiâ venimus non enim eam vult esse in pompâ.

Theologia magis est interna experientia, quàm litteralis cognitio. Studium litteræ est prætextus seu pallium impietatis. *Finck. can.* 100. Hûc pertinet Tauleri effatum: Crux unica est eruditio verborum Dei, Theologia sincerissima; ubi unus tentatus plus scit, & prodest, quàm centum non tentati, qui scripturas legunt, ut carmen aliquod Ovidianum. 295

Antonius Eremita, quibusdam Monachis petentibus regulam seu normam piæ vitæ; obtulit codicem Evangeliorum, dicens: illum omnia ad salutem necessaria continere. Sic & nos inquirentibus de mysteriis Theologicis, petentibus controversiarum decisionem, non ad aliud, quàm ad divinas scripturas confugere. In Philosophia itidem imitare debemus eundem Eremitam. Qui philosopho cuidam admiranti, quòd absque libris esset, respondit: Librum suum naturam esse rerum conditarum: doctissimus est qui illius litteras legere novit. 296

Insonuit vox Evangelij foris auribus hominum, ut crederetur, & intùs quæreretur, & inveniretur in æternâ veritate. Vbi 297

omnes

omnes discipulos, bonus & solus Magister docet. Ibi audio (Domine) vocem tuam dicentem mihi, quoniam ille loquitur nobis, qui docet nos. Quis porrò nos docet, nisi stabilis veritas? Quia & per creaturam mutabilem, cùm admonemur, ad veritatẽ stabilem ducimur. Vbi verè discimus, cum stamus, & audimus eum, & gaudio gaudemus propter vocem sponsi: reddentes nos undè sumus. *Augu.* 11 *confess.* 8.

298 Virtutes vulgò æstimantur, sed virtutes non sunt; Ecstases, raptus, insensibilitates, conjunctiones divinæ, elevationes, &c: virtutes hæcce non existunt, sed potius compensationes, quas Deus pro virtutibus retribuit, aut potiùs præludia sunt beatitudinis vitæ futuræ. Non tamen ad beneficia hujusmodi Chrstianum aspirare oportet: quia nõ ad benè serviendum & amandum Deum (quæ debet esse unica nostra intentio) requiruntur.

299 Consilia tam ardua, illusionibus sæpè sunt plena & accidit quandoque, quòd illi, qui se Angelos putant, ne quidem boni homines existant. Nihil tamen contemnendũ, aut temerè judicandum: sed benedicentes Deum propter supereminentiam aliorum, persistamus humiliter in viâ nostrâ humiliori.

miliori, & securiori; licet minùs excellenti.

Spiritualium actionum frequentatio, nõ pro fine habere debet aliquã voluptatem: magis enim (qui hoc faciunt) semetipsos quàm Deum quærunt, hoc est, suum gustũ & delectationem: qui finis & scopus fuit gentilium cõtemplativæ philosophiæ. Hæc est species quædam avaritię, luxuriæ, ac gulæ spiritualis; non minus nociva, quàm illa carnalis. Non ergò nec nos nec alios, juxta consolationũ quas à Deo perceperint multitudinem vel excellentiam; sed secundùm ea quæ propter Deum perpessi fuerimus judicare debemus. Et ita partim in Divinæ voluntatis impletione, partim in voluntatis propriæ abnegatione; ex animi puritate & promptitudine, quâ Deo obedientiam præstamus, consistit perfectio Christiani. 300

Vnica & verissima probationum veræ virtutis est: non ea quæ in oratione sentitur voluptas; sed patientia in tribulationibus, interior & exterior humilitas, tolerantia injuriarum, infirmitatumque quibus alij laborant & c: mundo voluptatumque ejus, atque omni honorum dignitatumque cupiditati perfecta renunciatio. Quamvis ad hęc efficienda, non parum conducat oratio, & 301

quæ

quæ in ea percipitur voluptas consolationis.

302 Multò minùs quàm consolationes, licitum erit petere vel desiderare Visiones, aut revelationes: quæ illis qui nōdùm satis sunt fundati in humilitate, ingens periculū creare possunt. Et tamen hæc petebat Augustini mater. *S. confess. 6. c. 13.*

303 Inspirationes Divinæ nihil sunt, quàm pia quædam Pietatis exercitia, affectiones, cordisque interiores conpunctiones, lumina & cognitiones; quæ Deus præstat, cùm in benedictionibus suis per curam suam, & amorem paternum nos prævenit: cùm tepida corda nostra resuscitat, & ad Sanctissimas virtutes, ad amorem cœlestem, ad bonas resolutiones, & ad omne id quod saluti nostrę necessarium, trahit & impellit. Hocque est quod sponsus vocat, ad portam pulsat, & loquitur ex corde sponsæ suæ; excitat illam dormientem, clamat, & acclamat, absentem invitat ad hortum suum, ut secum colligat lilia & flores.

304 In Lege nos exercere debemus, non tanquàm sub lege existētes, ejusq; maledictioni subjecti; nec ut possimus eam adimplere: sed ut eum imitemur, qui nobis in eo est exemplo. Amare debemus eum qui pro nobis adim-

adimplevit legem: & in eo & propter eum proximum noſtrum. Is autem dat velle, incipere, & perficere.

Omne quicquid facimus extra Deum, & 305
ſine eo, eſt nihil; & ideo peccamus. Quia ille ſubſiſtentia, conſiſtentia & eſſentia eſt omnium rerum.

Vita noſtra poſt baptiſmum, nihil aliud
eſt, quàm in Domino exſpectare & deſiderare, 306
ut in nobis appareat, quod portamus in nobis: & ut comprehẽdamus, quod nos cõprehẽdit. Luther. in der Kirchenpoſtill. f. 84.

Diſcrimen eſt faciendũ inter opera, quæ 307
in nobis operatur Chriſtus, quæ bona ſunt & juſta; quorumq; nomine, penitùs nõ ullo modo nos, ſed ſolus Deus eſt laudandus. Et, inter illa, quæ putamus propriâ perficere virium noſtrarum virtute: quæ coram Deo impia ſunt & prophana; etiamſi corã Mundo ſpeciem præ ſe ferant pietatis.

Non ſufficit hominem operari, ſi Deus 308
non adjuvet; nec Deus adjuvat, ſi homo nõ operetur. Ignavi divinâ benedictione ſunt indigni. Ignavis dictum eſt, in ſudore vultus tui, &c. Seduli ſibi dictum putent; non ſoliciti ſitis de craſtino, &c.

Impoſſibile eſt fiduciam habere in Deo 309
& operibus ſimul; liberalitas namque Dei eſt infi-

est infinita. Et Christus in Mundo apparuit, per solam suam bonitatem. *ad Tit.* 3.

310 Christus pro nobis satisfecit. Nobis tamen est quàm maxumè studendum: ut per fidem hujus redemptionis participes reddamur. Meritum Christi apud nos fructificare, vivumque fieri debet. Nempè secundum fidei veritatem, commoriendo, compatiendo, & cum Christo resurgendo.

311 Campus in quem seminat Deus puram sanctamque doctrinam, Corda sunt Christianorum. Hominibus verò dormientibus, sese nempè addicentibus rebus terrestribus atque mundanis (secundum illud *Psal.* 76. dormiverunt divites somnum suum, & resuscitati, nihil in manibus invenerunt) interim hostis zizaniam seminat, id est, falsa doctrinarum hominumque traditiones. Et quidem sub specie interpretationis, enodationisque.

312 Christus Apostolos & discipulos elegit, rudes, ignorantes, peccatores, aliquos etiam blasphematores ipsius Christi; ut nimirùm appareret, nihil in ipsis esse nisi meram gratiam & bonitatem divinam.

313 Civiles virtutes, non sunt perfectæ, vel hoc nomine dignæ; cùm per vitia incitentur & moveantur. Ira, acuit fortitudinem; ambitio,

ambitio, avaritia, invidia, stimuli sunt industriæ studiique diligentioris; infamia fovet castitatem: parsimonia frugalitatem tuetur. Multi Christum nostrum Salvatorem sequuntur in desertum, ut ibi habeant panem. Nescio verò utrum pejus sit, vel fugere Iesum Christum, vel eum sequi propter lucrum: at melius est relinquere Christum, quàm eum sequi, ut eum injuriâ afficiamus; facientes eum ministrum nostrarum cupiditatum. Virtutes qualesnùm erunt, quæ apud Diabolum stipendia merent.

Fœditas vitiorum ex eo elucet: quod nocent dum volumus prodesse, prosunt dum volumus nocere. Lascivus amor amato nocet, & amanti: odium nobis magis nocet quàm inimicus homo; & non vastat quisquàm persequendo alium graviùs, quàm cor suum vastat inimicando. Ita Lege infatigabili, spargit Deus pœnales cæcitates, super illicitas cupiditates. 314

Profana & vaniloquia sunt devitanda. Nec est quòd objiciat aliquis, hujusmodi inutilibus sermonibus non intendere nos aliis nocere: licet enim nos malum non intendamus; Diabolus tamen malum prętendit, & semper his verbis (tanquàm scandali aptissimo instrumento) utitur ad perforandum 315

dum cor alicujus, in quorum præsentiâ hæc ce incauti effutimus.

816 Diabolus nihil vendit, cujus pretium non sit animæ detrimentum. El diablo no vende nada sino à prezio de alma. *Perez, fol.* 333.

817 Omnis vinea non portans fructum, ab scindetur, & foràs projicietur. *Esaia*. 18. Fructum verò portans purgabitur & mundabitur. Quæ purgatio ad solum spectat Deum, qui est vinitor prudens, bonus. Si nosmetipsos purgare & mundare volumus, abjectione divitiarum similiumque rerum; fieri potest ut tempus non observemus, & ardeat ramusculus tanquàm putatus infelici sub constellatione. Fieri potest ut abscindamus, à nobis electâ sanctitate, nimis rigidâ; quod adhuc necessarium est. Sic folia interdum relinquuntur à vinitore, ut cooperiant, & tueantur uvam: ita prosperitates nobis seu potiùs vanitates quasdam nobis haut adimit Deus, ut non offendat imbecillitatem nostram. Crucem ergò & afflictiones, vel austerius vitæ genus non eligamus, non nosmetipsos tentemus; sed Deo omnia committamus, & cùm ille nos tentat, patienter feramus, fortiterque ipsum sequamur in omni fortunâ. Ille namque vi-

res

res nostras, quidque nobis prosit optimè exploratum habet; & cuilibet ea pro fidei distribuit mensurâ, quibus indigere novit. Nec tamen acceptator est personarum: sed in hoc respicit harmoniam corporis Mystici, cujus caput est filius ipsius dilectus: quod corpus in omnibus suis membris, uno æqualique spiritu animatur. Qui non alius est in eo qui prophetat, ab eo qui auscultat; in eo qui divitiis ritè utitur sineque applicatione, ab eo qui Iro pauperior existit, nec divitias appetit.

Infinita est justitia Dei, quæ ob peccata irascitur. Cui bona opera nostra nullâ proportione æquiparari possunt: cùm finiti, ergà infinitum comparatio fieri haut queat. Sed ut ejus bonitas maxuma est in creatione: ita infinita apparet misericordia, in redemptione. 318

Homo Deo adhærens, est supra creaturas: Sed cùm Deum relinquimus & creaturis adhæremus, jam ista infima supra nos ascendunt. Tyrannicè in nos dominantur, premunt, ut nusquàm sit laxamentum, aut respiramentum. 319

Nihil boni ex nobis proferre quimus: quia Deus sola bonitas, sola virtus. Ex quo fonte 320

fonte qui non deducuntur rivuli, non sunt ex aquâ vivâ.

321 Ex eo quòd homines semetipsos purgare voluerunt diversarum sectarum institutione: quidam castitatem foverunt, alij in desertum auffugerūt.&c: Quo fructu, quoque commodo & ædificatione mystici corporis nostri Salvatoris? viderint ipsi. Magna sanè pars hominum jam modò vidit, effectum speratum non indè subsequutum esse. Sine uxoribus vivere possumus, in solitudine degere, divitias, honoresq; contemnere: sed quibus id est datum à patre cœlesti. *Matth* 19.

322 Cælestis sapientiæ fundamentum est, cōtemptus humanæ; & illuminatio, seu gratia divina.

Non pedibus & spatiis locorum itur ad Deum, aut reditur ad eum. Affectus libidinosi, aliæque pravitates tenebrosæ sunt; atque id longè est à facie Dei, qui est lumen.

323 Qui peccata vult vitare, vitet peccatorū occasiones. Aliphius D. Augustini discipulus, insaniam ludorum gladiatoriorum detestatus est semper. Hunc amici & condiscipuli recusantem & resistentem, familiari violentiâ duxerunt in amphitheatrum diebus funestorum ludorum, hæc dicentem:

Si cor-

Si corpus meum in illum locum trahitis, nunquid & animum & oculos meos in illa ſpectacula intendere poteſtis? Adero itaque abſens; ac ſic, & vos & illa ſuperabo. At ille audax adhûc potiùs, quam fortis; & eò infirmior, quò de ſe præſumpſerat, qui debuit Deum. Non enim redit qui venerat; ſed unus de turbâ, ad quam venerat. *August 6. confeſſ.* 8.

In virtutibus Diſcretio requiritur, & intentio pura. Diſcretio oculus animæ eſt, quo illa cernit, & peregrinationem præſentis vitæ, conficit ſine offenſione. Puritas intentionis, dirigit ad Deum omnes actiones. 324

Non ex nobis ſanctificamur; velle enim & perficere eſt penes Deum. *Philip.* 2. v. 13. Et tamen Deus nos non movet ut lapides: debemus eum ſequi lubentes. Vnde vocamur cooperatores cum Deo. 1. *Cor.* 3. 9. 325

Vitia inſtar Zizaniæ, ſponte creſcunt, & ut herba irrigua ſerpunt. Virtus eſt inſtar ſeminis venientis ex oriente, quod culturâ indiget, & tamen etiam cultoris non indiligentis nonnunquàm induſtriam fallit. 326

Sicut tres ſunt gradus, per quos ad peccatum quis aſcendit: ſic etiam tres ſunt gradus ad virtutem aſcendendi. Inſpiratio bonâ, ſuggeſtioni malignæ contraria; delecta- 327

tio Divinæ inspirationis, contraria pravæ delectationi; & consensus ad Divinam illam inspirationem, contrarius consensui ad tentationem.

328 Ita inimicum nostrum vincemus, & in omnibus virtutibus progrediemur; si cùm naturaliter ad aliquod vitium nos proclives sumus: illi virtutem contrariam strenuè exerceamus. E. g. si ira aut cholera te lacessit, tunc ad humilitatis & mansuetudinis officia confugere debes.

329 Per solam actionem alicujus virtutis benè exercitæ, ad fastigium virtutis pervenitur; ut inquit S. Gregor. Nazianzenus. Allegans Rahab, quæ hospitalitatis officio fideliter exercito, ad summam gloriam ascendit: sed actio ejusmodi summo cum fervore & charitate exerceri debet.

330 Proprium Virtutis est, adnexam habere difficultatem. Ars enim & Virtus, inquit Aristoteles, semper circa difficilia fiunt.

331 Duplicia Virtutum genera existunt; honorabiles aliæ, aliæ abjectæ. Patientia, simplicitas, mansuetudo, & Humilitas ipsa; virtutes apud vulgus viles & abjectæ appellantur. E contrà verò prudentia, fortitudo

tudo, & liberalitas; vulgò pluris æstimantur.

Patientia est fortissima contra omnes 332
hostium insultus armatura.

Prudentiâ, aliorum inscitiam; Patientiâ 333
malitiam aliorum temperare debemus. *Perez. f.50.n.29.*

Abscessus sive ulcus mundi est, qui se à 334
communis naturæ ratione sejũgit; indignè ferendo ea quæ eveniunt. *Antonin.* 4.

Vt Deo, sic nec novæ ejus creaturæ, ali- 335
quid est malum. Non est aliquid quod irrumpat, & corrumpat ordinem, quem Deus posuit ei. In partiulari, si res humanas consideremus, quædam quibusdam, quia non conveniunt mala putantur. Et eadem ipsa conveniunt alijs, & ordini universali. Non est sanitas ei, cui displicet aliquid quod Deus facit. Iustitia Dei, displicet iniquis; sapientia Dei latet insipientes.

Cylindro quidem non datur, ut quovis 336
loco feratur, suo proprio motu. Vt neque aquæ, neq; igni, neq; aliis quæ â naturâ aut animâ rationis experte reguntur: multa enim sunt quæ obstent eis, & intercipiant. Mens autem sive ratio, per omia quæ resistunt pergere potest, secundum suam naturam, si à Deo adjuvetur.

357 Sani oculi est, omnia visilia cernere, & non viridia tantùm velle: quod faciunt ij qui vitio aliquo oculorum laborant. Indè & Mens sana, parata debet esse, ad omnia quæ occurrunt. Sed ea, quæ hoc tantùm curat, ut liberi sint salvi, ut ab omnibus laudentur ejus actiones: oculo similis est, viridia; aut denti, tenuia tantùm volenti.

358 Vtrobique teipsum eundem serva; ut non modo in judicando & agendo constātiam: sed & adversus eos, qui te prohibere conantur; aut aliàs indignantur, mansuetudinem tuearis. Haud namque minùs infirmi est, illis irasci, quàm desistere ab actione, & concedere metu perculsum. Vtrumque est ejus, qui ordinem suum derelinquit.

359 Iniquitas & malum non est substantia: & Dei respectu omnia bona, quia is convertit malum in bonum. Iniquitas ergò est, à summâ substantiâ (Deo) detortum quippiam: non loco & sustentatione; quia Deus etiam conservat malos. Sed voluntatis perversitate: quæ nequicquàm se à Deo separare conatur, & invicta vel nesciens, facit Dei voluntatem.

340 Si quis aliquid contra te deliquerit; statim cogita, quânam boni vel mali opinione peccaverit: id enim si cernas, miseraberis ejus,

ejus, ac neque miraberis, neque irasceris. Nam aut ipse, idem quod is, bonum putas, aut aliud quiddam ejusdem generis: Venia ergo danda. Sin tu secus de bono & malo judicas, eò placabilior eris ei, qui falsus.

In patientiâ vestrâ possidebitis animas 341
vestras, inquit Christus, *Lucæ* 21. Maxima hominis felicitas est, possidere animam suam: & quantò perfectior in nobis patientia est, tantò perfectius possidemus animas nostras.

Salvator noster tolerando & patiendo, 342
salvavit nos; ita etiam salutem nostram, nos impedire impatientiâ, quàm facilimè quimus.

Noli limitare Patientiam tuam, hoc vel 343
illo genere injuriarum: sed universaliter illam ad omnes extende. Verus & patiens servus Dei, eodem vultu tribulationes cum ignominiâ & honore conjunctas patitur: non in patientiâ laudem quærit, non ab improbis solùm contemni, accusari, cũ laude patitur: sed & per probos (coram mundo) per amicos, cognatos, malè tractari, pro hæretico, mago haberi sustinet. Non honorabilia solùm mala, sed & abjecta, æquo animo profert.

A probis persequutionem eo libentiori 344

animo accipere debemus; quia contingere potest, ut duo probi, uterque bonam intentionem in diversis suis sententijs habentes, maxumè se persequantur, & sibi contradicant.

345 Patientes esse debemus, non solùm quò ad graves, & principales afflictiones: sed & quod pertinet ad accessorias & in consequentiam venientes. Indè quidam dicunt: Non molesta est Paupertas, nisi quod impedit benè facere amicis. Alius, non curarem, nisi hoc ex peccato meo accidisse putaretur. Tribulationes patienter sunt tolerandæ, cùm incommoditatibus quibus Deus vult eas concomitari.

346 Non solùm Verbi sui pane nos nutrit Deus, sed & virgâ afflictionis nos exercet. Vndè in Arca fœderis, urceus mannæ, & Virga quoque Aaronis erat. Verbo instruimur, afflictionibus, corrigimur. Illo edocemur de Dei voluntate: hisce renuntiamus nostræ. Arbor non putatus, lascivit nec fructus profert, sed abit in folia & frondes. Satiamur amaritudine hujus vitæ, ut adspiremus ad futuram. Precationes nisi calamitatibus acuantur, lentæ sunt & magis ex consuetudine, quàm fervore dictæ. Nihil

magis

magis ingeniosum est in oratione & precatione, quàm dolor.

Melius est sequi quàm trahi: præsertim cùm Deus nos ducit. Nam quamvis via, per quam ducimur à Deo, sit scabrosa; est tamen recta. Dolorem minuit tempus, ratio, Dei timor: sed miserabile remedium est, plorandi lassitudo. Et promptiùs quàm ex necessitate inevitabili, & lamentandi incommoditate inefficacitateque consolationes ratio format; Dei timor ad Divinam voluntatem, paternamque affectionem confugit: nec patientiam solùm, sed & gaudium gratiarumque actionem in calamitatibus progenerat; cum in ipsis afflictionibus Divini amoris vestigia recognoscit. 347

Si in periculo te deserunt amici, considera Christum; quem Petrus (is qui præ cæteris illi charus fuit, quem ad gloriosam trãsfigurationem suam contemplandam elegerat) in præsentiâ illius Salvatoris, non semel sed tertiâ vice negavit: additis etiam blasphemijs & juramentis. Sicque damnationis in eum sententiam tulit, priusquàm à summo Pontifice condemnaretur: dum videlicet illum censuit esse talem; ut dignus minimè sit, cujus notitia habeatur. 348

349 In afflictionibus avertere debemus oculos ab eo, quem nos, nostrarum calamitatũ & miseriarum caussam esse videmus: Deum respicere potiùs debemus, qui illo utitur pro instrumento. Stultos vocamus canes, qui mordent lapidem, quo sunt percussi. V. *2. Sam. 16. de Davide quid responderit Semei.* Phrenetici est, vulnera dilacerare, & discerpere emplastra.

350 Qui dat crucem & afflictionem, dat etiam tolerantiam idem.

351 Christianus optare debet meliora, cogitare difficillima, ferre quæcunque evenerint.

352 Vera fides nunquam Deo repugnat; sed ei in totali resignatione se sistit, hoc est, Divinæ voluntati se committit, in exspectatione patienti.

353 Divites & potentes plerunque sibi persuadent; se expresè hoc privilegio à Deo conditos esse; ne calamitatibus & laboribus divexentur: sed potiùs ut otiosi in voluptatibus transigant vitam.

354 Afflictionibus, Deus nos vel exercet, vel probat, vel corrigit, vel honore afficit: faciens nos conformes filio suo.

355 Omne malum duas facies habet; una est doloris, altera consolationis: quam tamen postre-

postremam tantùm videt oculus considerationis. *Perez f.* 286. *num.* 232. Et mala pœnæ sunt bona, V. *Perez f* 293. *n.* 254. Cumq; promeritum supplicium perfertur in fide; illud jam merito Christi sanctificatur.

Injuria conquerimur de afflictionibus; cum illâ ipsâ conquestione confiteamur, nos à Deo non satis punctos afflictosque fuisse. Offenditur Deus, si in humanis malis, plus invenimus tristitiæ, quam gaudij in cœlestibus bonis. Deus custodit lacrumas nostras. *Psalm.* 56. Sed pœnitentiæ, non ploratuum obstinatorum. 356

Meritum Christi, non est à cruce separandum; cum in cruce fuerit absolutum. 357

Contradictiones quæ accidunt in exercitio Devotionis, patienter sunt ferendæ. Mulier cùm parit, tristitiam habet; cùm autem pepererit, non meminit ampliùs pressuræ. In animâ dignissimam totius mundi prolem si concepisti (Ihesum Christum) idem accidet tibi, quod mulieri prægnanti. 358

Quem Dei amor accendit; hunc omnis ex linguâ subdolâ contradictionis flatus, inflammare acriùs potest, non extingnere. 359

Tutiùs est afflictissimam, quam felicissimam ducere vitam. Afflictus nunquàm caret consolatione: felicissimus semper sa- 360

pientiâ & discretione. *Botero de' detti. fol.* 144.

361 Multi faciliori, magisque jucundâ operâ perveniunt ad cœlum, quàm alij ad Regnum Diabolorum.

Impiger extremos, currit Mercator ad Indos,

Qualis vita est eorum, qui in Aulâ vivunt? An non jugum Christi suavius est? Auditu horrendum videtur; ut si bona temporalia habeamus, omnem nos voluptatem seponere lubentes, & hoc nō facere propter Regnum Christi? Diabolus suos Martyres habet, & vel præcipuè impios, invidos, invidiâvè oppressos Aulicos. Qui Morbo Gallico laborant, nec resipiscunt. &c:

362 Patientia omnia vincit. Vbi est victoria Christi, nisi in cruce; ubi ejus potentia latet? per illam mors est destructa, cùm cuperet extinguere vitam. Cùm mundus putaret abolere memoriam Christi, per ignominiā mortis; ille ipse subjugatus fuit. Etiam versa est crux in signum honoris, fortitudinis atque virtutis. Resistere malo, nota est impotentiæ nostræ, & quòd patientiâ careamus, quâ malum sufferre queamus. An non inimici nostri tum erunt omninò victi, cùm nihil amplius habebunt quo nobis nocere, nostram-

noſtramque tranquillitatem poterunt per turbare? ſed verbum de cruce, ſtultitia eſt iis qui pereunt. *Rom.*1.

Sæpiùs judicium eſt reprobationis iræq; Divinæ, ſi homo afflictionibus tentationibusque caret, contra quas pugnet. 363

Ex afflictionibus remedium comparatur; ut ex viperis Theriaca. 364

Semper tentationis eremus eſt peragrandus; antequàm in terram ſanctam perveniatur: ne Dei oblivio inducatur. *Deuter.*8. 365

Pro magnâ gratiâ agnoſcere debemus, ſi conatus noſtros, noſtraque propoſita humana impedit Deus, & eos convertit in calamitates. Tantò magis nobis propitius eſt Deus, quantò minus ſinit nobis dulceſcere, quod non eſt ipſe. Sæpè Deus ſenſum vulneris noſtri pungit, ut relictis omnibus cõvertamur ad ipſum, & ſanemur. Et unicum eſt remedium veræ tranquillitatis; fidere Deo, & omnem ſortem patienter ſub illâ fiduciâ ferre. 366

Bajulum fortem eſſe putamus, qui magnum onus patienter portat. Fortem verò judicamus ſtultiſſimè eum, qui injuriarum eſt impatientiſſimus, & eas vindicat ſeverè. 367

368 Ferè qui ad vitam perfectam tendit, primitùs sanatur à libidine se vindicandi. Hoc enim spem facit, ei qui hoc vitio liberatur, Deum etiam propitium futurum cæteris iniquitatibus suis. secundum illud: remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Ergò qui hoc vitio adhuc est inquinatus, quàm procul adhuc abest à salutis viâ!

369 Christus à captivitate, usque dum fuit crucifixus, pauca locutus fuit, & quæ dicebat, brevissimæ sententiæ fuerunt: ut nos doceret, in tribulationibus mortisque cruciatibus, patientiâ potiùs quàm multiloquenti ornataque conquestione utendum esse.

370 In gaudio abnegationis (der gelassenheit) patientiam exercere; vera tranquillitas existit.

371 Patientia non omnem sollicitudinem vincit: dolores alijque affectùs & perturbationes, derivantur nonnunquàm ex amore; ita, ut quantò major est amor, tantò majores etiam sint omnes affectus, amori accidentes. Et ita Maria mater Ihesu, sollicitè filium quæsivit, quem tamen certò scivit Mundi forè Salvatorem.

372 Absentia pueri Ihesu, consolatur in tentatione

tatione pusillanimitatis, diffidentiæ & mœroris constitutos. Si in tanto dolore Matrē reliquit Christus: quid mirum, si hoc nobis fiat?

Omnium virtutum cothurnum, hypocrisis induit: sed in afflictionibus & persecutionibus, ut sorex, ipsa se prodit. 373

Agrum cultura, & vomeris sulci reddunt meliorem: idem efficit afflictio in homine Christiano. Geistlicher Kauffman. f. 227. 374

Patienter perferre crucem, animam sanctificat & purgat, ad inhabitationem Spiritus Sancti. Vnde ejusmodi hominibus magna secreta aperiuntur, præsentia & futura. 375

Afflictiones minimè nos separant à Deo. Cum S. Antonius, à Diabolo in aëra raptus, duriterque tractatus, tandem dimitteretur; ita Deum interrogabat: ubi eras quæso, in angustiis meis? Et ipsi respondebatur: non alibi quàm quo sum hoc ipso in momento, cùm tecum loquor. Aderam enim tibi semper. 376

Maledicentia nemini nocet, nisi qui illam ægrè fert. 377

Qui verè sunt Christiani, injuriosas linguas plurimùm sævire contemnunt: sed alij è contrà, de suâ fragilitate sibi conscij, ad quæcunque verba moventur, & subitò irascuntur. 378

379 Si injustè contemnimur, pacificè veritatem calumniæ opponamus; & si perseverat injuria erga nos, perseveret quoque humilitas nostra.

380 Maledicta omnes cavere debemus. Etenim Archangelus Michaël adversus Diabolum altercans, non ausus est illi impingere maledictum. *Iudæ v.9.* Quantò magis nos fratribus nostris?

381 Si Mundus te condemnat; adspice Filium Dei, non modo in formâ hominis peccatoris; sed & in formâ hominis cōdemnati. Dic cum illo: hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. *Luc.22.* Considera sponsum tuum, factum quondam fuisse metam & scopum, suscipientem in se jacula omnia contumeliarum & tormentorum, quæ à Iudæis poterant excogitari.

382 Si brachium seculare, ad instantiam Pharisæorum atq; Scribarum, tranquillitatem tuam turbat: Respice Christum, cui miles seculi alapam impegit, & dixit: sicciné Pontifici respondes?

383 Injurias patienter suffert, nec quicquàm ex contumeliæ verecundiâ turbatur; qui intrinsecùs humiliter ac demissè de se ipso sentit.

384 Si persequutio quietē adimit, insomnes.

que

que facit Noctes: in mentem intret tibi nox illa, in quâ Salvatori nostro, membra omnia, sensusque omnes, tum quando quiescere debuisset, excarnificata fuêre.

Imitare Christum, qui pro inimicis mortuus est, pro tortoribus oravit. Quis unquàm tam effusam audivit alicujus charitatem; ut ob eam caussam subeat mortem, quò propriâ morte, peremptoris sui ęgritudinibus & vulneribus mederetur? 385

Vlciscendi ratio optima est, ne similis fias ei qui injuriam fecit. 386

Multi gloriam Divinam cum Deoque regnare desiderant: sed pauci pro Deo confusionem & ignominiam perferre volunt. Multa pertulit Christus, & hoc necesse est ut feramus. In contemptu vixit, & in eo non indignanter eum sequi debemus. Plus consolationis percipit verus Christianus in afflictionibus & ignominiâ, quàm in honore & prosperitate. Nihil ipsi magis grave est, quàm gloria, honor & prosperitas mũdana. Quippè tum demùm in tranquillitate verâ vivit Christianus, si Christo est in omnibus æqualis. 387

Sanctus quidã pro miraculo, quo Christianæ religionis veritas & bonitas sufficiẽter probari possit, reputavit; quòd Christiani 388

non

non irascuntur, non injuriis affecti commoventur. *Botero de' detti f.*139.& *b.*

389 Ira viri, Iustitiam Dei non operatur. *Iacob.*1. Ne ergò omnino irascaris, si fieri potest; nec aliquid prætendas, ut animus tuus irâ commoveatur. Etiam cùm aliorum vitia sunt reprimenda; faciendum id est pacificè & mansuetè. Et judex sententiam pronuntians justam, pœnamque promeritam infligens, non est absque reatu: si non cum Nerone (cùm sententiam condemnatoriam subscribere deberet) optat; litteras haut novisse.

390 Melius est conari vivere sine irâ; quàm velle moderatè & sapienter illam exercere.

391 Non ira est viri, sed mansuetudo: id ut humanius, ita & virilius est; requiritque robur, nervos, & fortitudinem: quæ non sunt apud indignantes & morosos.

392 Insani est, velle ne pravi homines peccent: qui enim hoc petit, id petit quod fieri non potest.

393 Severi sumus in alios, & erga nos clementes: volumus ut alij nostra verba boni consulant; interim valdè impatientes & duri in verbis alterius invenimur. Perdicibus Paphlagoniæ similes sumus, quibus geminum cor inesse ajunt. Vnum nobis est, mite & gratio-

gratioſum erga nos ipſos; alterum durum, ſeverum, & auſterum in proximum.

Cùm alicujus offenderis peccato, ſtatim ad te revertere, & conſidera, quâ in ſimili re tu pecces. Id iram mox oblivione delebit. Accedit autem & hoc, quod ſi tu non peccas; id non tibi ſed Deo adſcribendum eſſe ſcias. Forſan vel metus vel gloriolæ cõſectandæ cauſsâ, aut aliud ob malum, abſtines ſimilibus peccatis. 394

Etiam ergâ nos ipſos, manſuetudinem exercere debemus. Diſpliceant nobis placidè peccata noſtra: melius namque corrigimus nos ipſos per placidam & conſtantem pœnitentiam; quàm per vehementem & intenſam. Vndè graviter peccant, qui irati iraſcuntur, quòd fuerint irati; qui contriſtantur quod contriſtati; qui ſtomachantur, quòd fuerint ſtomachati. 395

Et Deus cùm ſit omnipotens, & omni ſcelere purus, tamen non indignè fert, quòd in tam diuturno ævo, ſemper tot improbos homines perferre debet. Quin imò, illorum curam ſummam gerit. Ridiculum eſt, te nõ fugere tuam ipſius malitiam, id quod conceſſum: aliorum velle fugere, quod non conceditur tibi. 396

Non ſolùm magnæ afflictiones propter 397
Chri-

Christum æquo animo sunt ferendæ; sed & parvas injurias pati debemus, parvi momenti damna, incommoda exigua. Omnes hæ parvæ molestiæ, acceptæ cum amore, valdè placet Divinæ bonitati; quæ pro haustu aquæ, mare omnis felicitatis fidelibus suis promisit. Qui fidelis fuerit super pauca, ipse super multa constituetur.

398 Non nobis major est hostis, quàm nosmetipsi.

399 Deus neminem tentat; sed quilibet tentatur à semetipso.

400 Septimus Dies, & petitio septima in Dominicâ oratione, denotant Sabbathisinum, veramque nostri abnegationem (die wahre gelassenheit) Tum est homo liberatus ab omni malo. Ereptus enim est sibi ipsi: & nos sumus malum, à quo petimus liberari. Hinc quidam rectè,

Auß mir führe mich:
So ich mich ansich/ersel recht ich.

401 Omne malum, omnisque tentatio, provenit ex nobismetipsis: dum nos à bono avertimus dolosè.

402 Parum refert, dives ne sies an pauper, sanus vel morbo correptus; sed in eo sita est nostra salus, ut omnibus indifferentia quæ sunt, utamur ritè: & grati patientesq; agno-

scamus

ſcamus bona omnia à Deo; nec mala ejus præter voluntatem nobis accidere poſſe.

Dionyſius, quid ipſi Philoſophia profuerit? interrogatus: An non vides, reſpondit ille; ego ut Fortunæ meæ mutationem feram? *Plutarch in Timol.* Sanè ibi maxumè, non in diſputationibus apparet acumen Philoſophiæ. 403

Dictum illud Chriſti (ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ poſſides) intelligendum eſt, de Paupertate habituali, non actuali. Flagitat Chriſtus à nobis, non ut jam omnia abjiciamus, quæ habemus; ſed, ut cùm confeſſio Divini numinis & gloria Chriſti poſtulaverit, tum propter eũ omnia deſerere parati ſimus. Sicut & cùm odium Patris, matris, & propriæ animæ, à ſectatoribus ſuis Chriſtus requirit. *ex Gutl. de S. Amore Wolff. tom. 1. f.* 537. 404

Sapiens eſt liber. Sed nemo liber, niſi ſibi imperioſus. 405

Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent:
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores.
Fortis; & in ſeipſo totus teres atq; rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari:

In

In quem manca ruit semper fortuna. Horat 2 sat. 7.

406 Duplex est dolor sapientis: dolet ut homo; & dolet quia ipsi vehementer displicet, tantùm in illo posse hæc humana; quæ ordine debito, & sorte conditionis nostræ, accidere est necesse. Ita duplici tristitiâ maceratur.

407 Subtractio gratiæ fit; ut intelligamus, non esse opus nostrum: sed Dei misericordiam.

408 Crux sola est nostra Theologia. Non est via quæ ducat ad salutem, nisi via crucis, per quam præcursor noster, contemnens opprobrium mundi, perferens omnem contradictionem improborum, in Dei Sanctuarium intravit.

409 Ecclesia Christi nihil gloriosius putet, quàm Christi opprobrium portare.

410 Non est prudentis rerum humanarum, mirari, si Mundus instabilis, si humana mutentur. Etiam Medico & gubernatori turpe sit; mirari velle, si quis febricitaret, aut si existeret ventus adversus. Non debet philosophus in Mundo ceu patriâ suâ, ita esse peregrinus; ut admiretur ea, quæ quotidiè eveniunt. Quò & Iuvenal. *Satyr* 13. alludit:

stupet

——*stupet hæc qui iam post terga reliquit*
sexaginta annos?

Homini nihil accidere potest, quod non sit humanum: quod non alteri alicui acciderit.

Memento partem tui principem superari non posse; cùm in se collecta, seipsâ contenta est. 411

Accidit mihi aliquid, refero id ad Deum, omnium rerum fontem; cujus sine nutu, nec mihi excidit pilus. Et desino ægrè ferre, quod Deus imponit: cujus ut voluntas ubique fiat, quotidiè oro. 412

Qui rectè sapiunt, tam privatas, quàm publicas calamitates, non Fato suo imputare; sed Divinæ providentiæ tribuere debent: quæ solet corruptos hominum mores ita emendare atque deterere, itemque vitam laudabilem atque justam mortalium, talibus affectionibus exercere; probatamque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris, propter usus alios detinere. *Aug. l. c. 1. d. civ. Dei.* 413

Tentatio & afflictio Dei, non est ad malum. Sed is Milites, sub Capitaneo suo (Christo) militantes, hoc modo recenset, exercet, eorumque fidelitatis periculum facit. 414

Impa-

415 Impatientia & superbia, duo sunt indicia certa, hominis mundani; qui nondum factus est creatura nova.

416 Patientia Dei, ad pœnitentiam invitat malos; sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos.

417 Non decet militem Christianum terreri oppugnationibus, vel diutinâ molestâque defensione, aut in magnis tentationibus animo frangi. Magis est ut Deo gratias agat, quòd eum dignum judicaverit, tam duriter oppugnari. Ipse namque solus scit, quo fræno opus habeat caro nostra. Patere, sile, Deoque haud refragare, & post victoriam ne superbi.

418 Placuit Divinæ providentiæ, præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala, utrisque voluit esse communia; ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerunq; afficiuntur. *Aug. 1. d. civ. Dei.*

419 Fausta & adversa, bonis & malis communia sunt. Nam si nunc omne peccatum, manifestâ plecteretur pœnâ, nihil ultimo judicio reservari putaretur. Rursùs, si nullũ pecca-

peccatum nunc puniret apertè Divinitas. nulla esse providentia divina crederetur. Non tamen cùm boni malique pariter affiiciuntur; ideò ipsi non sunt distincti. Multùm enim interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. *D. August.* 1. *d civ. Dei.* 8.

Flagellantur simul mali & boni, nō quia simul agunt malam vitam: sed quia simul agunt temporalem vitam; quam boni contemnere deberent, ut illi correcti atq; correpti, consequerentur æternam. *August. d. civ. Dei.* 9. & 28. 420

Cur quidam sunt divites, sunt alij mendici, ambo probi? Quia nihil refert, utrumvis fies; si utroque sciveris uti. 421

Ita bonus est Deus, ut peccata nostra eorumque suavitatem adspergat felle; ut ijs non adhæreamus, sed ea citò deseramus. Sic amans, lætus, colligatur nexibus ærūnosis, & cæditur virgis ferreis ardentibus, zeli, & suspicionum, timorum, irarum &c: 422

Si metuis divitiarum amissionem: tribue ea Deo antequàm tibi eripiantur. Hoc qui de suis faciunt divitijs, magnis lucris levia damna solantur: plusque lætantur ex his, quæ facilè tribuendo, tutiùs servaverunt, quàm contristati ex his, quæ timidè retinendo 423

nendo faciliùs amittent. V. *August.* 1 *d. civ. Dei*. 10.

424 Alia est Fortitudo Christiana, alia Nobilium, Aulicorum, ut & Militum quoque: hi vel ex furoris iræque æstu, contemnunt, vel etiam vendunt vitam: levi injuriâ stimulati, verbo malè interpretato concitati, semet exponunt discrimini mortis, vel in id alios ponunt. Quo ipso confitentur, vitam suam esse vanam, cùm eam ita vili pretio vendunt. Sed audaculi hi, pusillanimes sunt; cùm pro honore Dei pati vel pugnare deberent. Magnanimitatis ejusmodi magna requireretur dosis, ad muniendum Martyrem Christi.

425 Fortes quidam sunt, animi quodam stupore, aut immanitate; aut quâdam miserâ & necessariâ in perpetiendis doloribus exercitatione.

426 Ἀναλγησία atque ἀπάθεια etiam prudentiorum Stoicorum judicio, improbata fuit atque abjecta. V. *Agell*. 12. *c*. 5. *& adde eund. libr*. 19 *c*. 1 *& c* 12.

427 Si quis mutationem timet, is cogitet, absque eâ nihil fieri posse; neque esse eâ quicquàm Naturæ Vniversi amicius. Per universam Naturam, tanquàm per torrentem transeunt omnia corpora, universo

ipsi

ipsi cognata; & ejus operam adjutoria, uti & nostra invicem sunt membra.

Sacrosancta Scriptura, omnes eos adnumerat Regno Antichristi, qui sub nomine 428
Christi, Ecclesiæq; Christianæ; contra Christum in suis regnantem, contra ejus gloriã veritatemque docent. Maxumè si vi, violentisque mediis, in opinionibus suis propagandis utantur.

Magni Tyranni persequuntur parvos, & 429
in simul Christianos. Parvi unà cum magnis adversantur Christianis: ut ipsis parcatur.

Si anima vult à malo suo liberari; cum 430
patientiâ, mansuetudine, humilitate, & tranquillitate illud velle debet: & liberationem suam potiùs per bonitatem & providentiam Dei, quàm per proprium laborem, industriam aut diligentiam exspectare. Si liberationem à se, humanisque mediis expetat, in periculosissimo jam est statu. Si enim ea non citò suppetant, in summam inquietudinem, tristitiamque incidit, & tandem venit in desperationem; cùm nullum suo malo remedium superesse censet.

Diabolus, sicut excitat malos ad oblecta- 431
tionem peccati commissi, vel cõmittendi:

ita bonos in bonis operibus, vel cruce contristari conatur.

432 In spe, animæ vita consistit, Baculus est & remedium contra omnes vitę tribulationes. Spes est viaticum humanæ vitæ.

433 Patientia & spes tristitiam abigunt. Corpus verò triste, est animæ sepultura.

434 Non poteſt cogi, qui poteſt pati.

435 Diceret aliquis, infelicem me, cui hoc acciderit! quin imò felicem me, qui hunc casum sine dolore perferam: & nec præsentibus frangar, nec futura extimescam. Nam unicuique tale quid potuit accidere; at non cuivis erat, sine dolore eum casum excipere.

436 Morbis oneramur, ut sciamus corpus nostrum haut Dominum, sed servum esse. *Botero de' detti, f.* 144.

437 Dolor si sit intolerabilis, mortem affert: diuturnus ferri potest. Ergò, non intolerabilis neque æternus erit. Quod fuit Epicuri dictum.

438 In Morbis debemus Deo patientiam, & vitæ emendationem.

439 In morbis propiores Deo sumus: quia inter nos & Deum interpositum est corpus; illud quo imbecillius, eò magis quasi per transennam videmus Deum. *Botero f.* 131.

Vnde

Vnde quidam unum oculum amisit: & gavisus fuit, quòd uno inimico liberatus esset. *Botero. f 161. b*

Qui obscuriùs cernunt, rogare debent, ut videant lucem, quam intuitus est Tobias, cum clausis oculis istis, filium docebat vitæ viã, & ei præibat pede charitatis nusquàm errans. *V. omninò August. confess. libr.* 10. *f. m.* 344. 440

Perfecta abnegatio sui ipsius requirit, ut crucem patienter feramus, & non abnuamus ignominiæ vasa esse. *Rom* 9. Creati sumus, ut demonstretur in nobis misericordia & justitia Dei. Sufficiat si justitia in nobis nostrisque miseriis, pœnis & afflictionibus reluceat. Nec consolationem vel justificationem nostri petere debemus, sed tantùm sancti nominis ipsius amplificationem. Exindè enim efficimur vasa bonitatis & misericordiæ divinæ: statim quippè Deus (neminem ex absoluto decreto condemnans) jungitur ei qui se separat ab omnibus mundanis: quamvis non sentiamus præsentiam Dei. 441

Nemo est heres Spiritus Christi; quem non facit amor ex discessu illius dolere, atque absentiam ipsius molestè ferre: quiq; dum in hoc exilio degit, ad ipsius præsen- 442

tiam non continuò suspirat. Vnde Paulus ait: Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

443 Mortem naturaliter timemus: quia ea omnium rerum est extremum, nihilque reliquum esse mortuo videtur. 3. *ethic*. 6. Christiani itidem eandem, ideo timent: quia metuunt futura, quæ conscientia prædicit. Sed ut eleganter canit Petrarcha:

Negar non posso che l' affanno.
Che va inanzi al morir, non doglia forte:
Ma più la tema de l' eterno danno.
Ma por che l' anima in Dio si riconforte.
E' l cor, che 'n se medesmo forse è lasso;
Che altro, ch' un sospir breve è la morte?

444 Senex quidam interrogatus, num timeat mortem? mori non me terret ait, sed exhorresco reddere rationem. *Botero f. 154. b.*

445 Omnem diem tanquàm supremum agas; si vis rectam incipere vitam.

446 Probis vita est pœnitentiæ materia, & mors laborum finis. *Botero f. 155. b.*

447 Vltima hora plus valet, quàm totum vitæ spatium reliquum.

448 Est quidem ignobile, sed tamen ad mortem contemnendam auxilium; cogitare quàm

quàm exiguum ſit ſpatium id, quod vixerunt ij, qui vitam in longiſſimum extraxêre tempus. Itemque per quot labores nobis ſit vivendum, inter quos, quali in corpuſculo vita ſit exigenda.

Fides, pudor, juſtitia & veritas, 449
Climatibus terra, cœlum petiêre relictis:
Quid ergò reſtat, quod te hîc detineat?

Hoc unum erat, quod poterat retinere in vitâ, ſi fuiſſet homini datum vivere cum iis, qui eadem ſentirent. Nunc vides, quàm laborioſa ſit inter unâ viventes diſſenſio, ita ut dicas: O mors veni celeriùs, nè quando ipſe quoque mei obliviſcar. 450

Turpe eſt hominem ex hoc exire Mundo, antequàm ſciat, quam ob cauſſam venerit in eundem. 451

Si quis mortem per ſe intueatur, cogitationeque omnia ab eâ ſeparet, quæ ei ineſſe videntur; is jam nihil aliud eſſe exiſtimabit mortem, quàm opus Naturæ. At verò puer eſt, qui naturæ aliquod opus re formidat. *Antonin. Imp 2. de vitâ ſuâ.* 452

Stultum eſt timere mortem. Id quod nobis debetur, tenere malumus, quàm jus obligationis. At in cœleſtibus contrariâ incedimus viâ: malumus habere ſpem æternæ 453

vitæ, quàm eâ frui, cùm terminus adest solutionis, eam renuimus acceptare: id quod est omninò incivile.

454 Cõsideratio & pressior examinatio mortis multùm prodest. Non tantùm nobis nocere is potest inimicus, quẽ novimus, cujus stratagemata nobis non incognita existũt.

455 Aliud est ex simplici obstinatione, philosophicové robore contemnere mortem: aliud ex cupiditate dissolvi, & cum confidentiâ apud Christum se sistendi.

456 Aliud est tædio vitæ currere ad mortem, ut est exemplum apud Stumpfium. *2. f. m. 72. b.* aliud amore arctioris consortij Divini.

457 Non mirũ est, homines religionis Christianæ, sæpè non æquè fortiter ferre mortem. Ethnici existimabant de rebus adversis, quòd contingerent naturæ necessitate, aut temerè ferrentur, aut quòd post hanc vitam nulla reliqua esset. At Christianorum caussa longè aliter se habet; non expendunt res ipsas adversas, juxta earum naturam: ad caussam cũfugiunt superiorem; Deum auctorem cogitant, & nos ansam dedisse illi cruci. Tum demùm illis occurrunt Legis conciones; ibi fides excitatur: & ea, quò est vehementior, eò Diaboli, carnisq; resistentia,

tia, major. &c. V. *Martyrem in comment. Samuel c.13.*

Absentem mortem, cogitatione qui cõplectitur; ejus animus præsenti antidoto, contra omnes Christiano homine indignas cogitationes est munitus. 458

Animæ nostræ duplici vinculo sunt ad corpus alligatæ; voluntario & naturali. Si nos voluntarium præcidamus, odio & contemptu vitæ cum Paulo *Phil. p.* 1. 23. & Davide *psalm* 42. Exspectantes patienter usq; dum naturale abrumpat Deus; jam possumus esse tranquilli, & abscissio vinculi naturalis parùm nos gravabit. 459

Ad finem vitæ homo venire debet purus, quietus, ac dissolutu facilis: & qui nullâ vi coactus, ultrò se Dei voluntati accommodet. 460

Ad recipiendam gratiam Dei, necessum est, ut gloriâ nostrâ vacui simus. 461

Humilitas Sathanam repellit, & in nobis gratiam ac dona Spiritus Sancti conservat. Humilitas est virtutum omnium basis atq; fundamentum. V *omnino Perez. f.* 107. *& seq.* 462

Christus in passione se subter omnes humiliaverat creaturas; in Ascensione super omnes exaltatur. Veræ gloriæ amatores, 463

hanc ſemitam tenere itidem debent. Opus enim eſt, ut qui exaltari cupit, ſubjiciat priùs ſe cunctis.

464 Balſamum ſi ad fundum vergat, optimũ & pretioſiſſimum exiſtit: ſic quoque, ſi cognoſcere velis, utrum quis verè ſapiens & nobilis exiſtit; videndum eſt utrum hæc ad humilitatem, modeſtiam & ſubmiſſionem tendant: nam hoc ſi apparet, vera bona erũt. Sed ſi ſupernatent, & videri velint; tantò minùs vera bona cenſe, quantò plus apparentia exiſtunt.

465 Pavo circumrotans ſe, ut pulchritudinẽ ſuam videat, erigit plumas ſuas; hoc autem facto, totum corpus deforme apparet, & quicquid in illo fœdum eſt, ſtatim cerni poteſt: talis & ſuperbiæ eſt finis.

466 Homo circumferens mortalitatem ſuã; circumfert teſtimonium peccati, & quòd ſuperbis reſiſtit Deus.

467 Humilitas tegit omnes virtutes, & perfectiones noſtras humanas: neq; unquàm illas niſi jubente charitate in lucem profert. Humilitas verò præjudicans charitati, ſine dubio eſt falſa.

468 Noli vel ſtultitiam, vel ſapientiam ſimulare: nam ſi humilitas impedit te, quò minùs Sapientiam ſimules; ſimplicitas & can-

dor

dor etiam impedient ſtultitiam ſimulare.

Diabolus omnibus in virtutibus verè par nobis eſſe poteſt: exceptâ humilitate. *Botero de' detti.f.*128.*b*. 469

Nō eſt reſpectus perſonarum apud Deū. *v.Rom.*12. nihil ille æſtimat, præterquàm humillimos, & in mundo maxumè contemptos; ad hos ille ſe convertit, hos reſpicit. *v.pſ.*17.33.81.112. Et apud Deum maxumè gratiâ eſt dignus, qui eâ ſe indigniſſimum putat, qui non ſuum honorem petit: ſed ut ſanctificetur ſolum Dei nomen. 470

Ardua & ſublimis eſt Divinitatis Chriſti contemplatio; ejus ideoque Humanitas, porta quaſi eſt, per quam ingredimur ad Divinitatem: ad ſummam ſublimitatem per ſummam humilitatem pervenientes. Chriſtus eſt unicum centrum; omnium renatorum, exemplar & norma. Is complicat omnes renatos, & renati complicantur in Chriſto. 471

Quemadmodùm Adam, per ſuperbiam eſt condemnatus; qui homo cùm eſſet, Divinitatem ambiebat: ita per humilitatem alterius hominis; qui cùm Deus eſſet, humanitatem aſſumpſit, à damnatione ſumus liberati. 472

473 Quemadmodùm ſuperbiam Adami fugere; ita humilitatem Chriſti, imitari debemus. Nova creatura conſiſtit in piâ humilitate.

474 Quod Agnus eſt in Animalibus, id Columba eſt in Avibus. Summa utriusque manſuetudo, ſumma ſimplicitas, ſumma innocentia. Ideò Chriſtus & Spiritus S. ijs præfigurantur.

475 Humiles ſeu parvuli ſoli, qui nihil ſe habere, ſcire & poſſe putant; verè intelligunt S.S. Scripturam; etiamſi coram mundo de eâ ſplendidè diſſerere vel diſputare non poſſint. Deſiderium enim ſolùm dat intellectum earum.

476 Quem docebit Dominus ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus. *Iſai.* 28. hoc eſt, eos, qui corporeas voluptates & illecebras deteſtantur, & fugiunt. Hi ſemper pleni ſunt conſolationibus Spiritus. Qui non renunciant omnibus delitiis, & voluptatibus, hi non habent Domini ſcientiam & auditum.

477 Serpens callidiſſimus; Naturæ lumen eſt in ſe reclinatum. Hoc ſerpente decipitur Lucifer & Adam. Et hoc eodē modo omnes homines non renati, cupiunt fieri beati: & im-

& imprudentes iterant quotidiè lapsum Adami.

Non possumus ascendere, quando jam in alto sumus,& in cœlum ponimus os nostrum.Descendamus ut ascendamus. Cecidimus ascendendo contra Deum. 478

Christus jacuit in medio bestiarum, & laudatur ab Angelicis spiritibus:docens,ubi ab unâ parte (terrâ) summa est humilitas; ab alterâ (cœlo) summam esse sublimitatē. Ita hîc semper duo contraria uniuntur. 479

Beatus qui non scandalizatus est in me, inquit Christus, *Matth* 11. quasi dicatur: Beatus qui sub humilitate humanitatis Christi,ejus miratur Divinam Majestatem. Qui sub paupertate Christi, Divitias quærit. Sub vitæ asperitate delicatissimas voluptates. Sub ignominiâ Mortis & vitæ, gloriam maximam. 480

Vera humilitas candida est,& paucis utitur verbis. Nam illa non solùm alias virtutes; sed & se ipsam tegere cupit. Ergò aut verba humilitatis non sunt proferenda: aut illa si proferantur, ex intimo corde fieri debent. Non simulemus nos velle postremos esse;nisi ex intimo corde postremi esse velimus. 481

Vera humilitas est; te ipsum & omnia 482

quæ habes in mundo contemnere, omnes meliores temetipso reputare; magni facere peccata nostra deminuere quæ fecimus bona. *Botero f.128 de' detti.*

483 Si persuadeamus nobis id scire, quod nō scimus; Stultitiæ signum est manifestæ: simulare verò nos non scire, quod probè scimus, vanitas intollerabilis reputatur.

484 Merces est superbiæ, tandem redigi ad pusillanimitatem & desperationem. Sed humilis quò se impotentiorem cognoscit, & quantò se miseriorem putat; tantò audacior evadit: quia nempè omnis confidentia ejus est in Deo; qui gaudet potentiam suam exercere in infirmitate.

485 Humilitas se exerit in adversis. *Botero f.129.*

486 Ostentatio simplicitatis, insidiæ sunt tectæ. Bonus, simplex & mansuetus vir, hæc omnia in oculis habet, neq; ea latent. Quàm putidus & falsus ille, qui dicit: Simpliciter tecum agere statui. Non est hoc præfari opus: ipsa res hoc ostendat.

487 Cor contritum & humile, postulat Sapientia: in hoc ipso magnificum sibi domicilium extruit. Dum igitur hominem frangit, eundem ædificat; dum destruit, renovat, dum humiliat, exaltat; dum obtenebrat,

brat, novam lucem infundit; dum hominē ab hominum consortio avertit, in Cœlestium commercium introducit.

Si propter actiones veræ & ingenuæ de- 488
votionis, vilis, abjectus & stultus æstimeris; Humilitas te gaudere facit, propter fœlix hoc opprobrium, ut David fecit, cum saltaret ante Fœderis arcam. 2. *Reg.* 6.

Etiam abjectionem amemus, quæ oritur 489
ex malo vel peccato: adhibendum tamen est remedium malo, ex quo illa est orta.

Si ex unâ parte peccatorum tuorum 490
gravitatem, ex alterâ verò inopiam & nihilitatem (ut ita loquar) tuam inspicias; cognoscasque te nihil à te ipso, sed omne bonum à Deo habere: ex illâ consideratione veram humilitatem, atque animi submissionem, virtutum omnium matrem, acquires. O si cognoscant se homines, homines: & qui gloriantur, in Domino glorientur!

Quanta pars immensi, infinitique ævi, 491
attributa est unicuique: celeriter ea in æternitate evanescit. Quanta pars universi? Quantulâ in glebulâ terræ repis? Hęc omnia tecum cogitans, nihil animo magnum concipe. Hoc tantùm, ut ductu Dei agas, & feras quæ ille tibi imponit.

Nullum certius argumentum est, homi- 492

nem adhuc longè à verâ sanctitate abesse; quàm si jam proximum ei se factum esse credat.

493 Contemplare te in vitâ Christi, quæ tibi præcepta est, ut eum imiteris; vide quàm longè absis. Intuere sanctorum vitas, Martyrumque; & facilè animadvertes, te illis compositum nanum, illos gigantes esse.

994 Bona opera salvare nequeunt, nec salutem adjuvare. Quia Christiani oratio continua esse debet; Omnia opera mea operatus es Domine, in conspectu tuo nihil sum, nihil possum. De tuo munere est, quòd subsisto, sine te nihil agere possum. Non sunt bona opera, nisi ejus qui Deo placet. Ergò, justificatio alia quàm ex operibus præcedit.

495 Humilitas nos gratos facit erga Deum; Mansuetudo proximo. In mansuetudine opera tua perfice, ut ab omni homine diligeris. Mansuetudo si genuina sit, non adscititia, aut fucata, invicta est.

496 Nō magna humilitas est in muscâ, quod nihili facit se respectu montis; scintilla respectu Solis; ita humilitas non in eo consistit, ut nos præ Deo contemnamus; sed ut alios nobis anteponamus, & alijs anteponi nolimus.

An-

Antidotum qui sumũt, etsi à viperâ fuerint morsi, non tamen intumescunt; dummodò illud sit bonum. Sic quandò humilitas & mansuetudo, bonæ sunt & veræ; nos à tumore ardoreque sanant, quamvis à maledicis fuerimus morsi. Aliter si facimus, morosi ac tumidi si fiamus; signum id est, humilitatem nostram, & mansuetudinem esse fucatam. 497

Sola charitas nos perficit: sed Obedientia, castitas, & paupertas; illius acquirendæ tria potentissima media sunt. Tres hæ virtutes, rami sunt Crucis Spiritualis; omnes humilitati tanquàm stipiti innixi. 498

Solus Deus est, qui valorem, pondus, pretiumvé dare potest, rebus à se creatis. Quæ valent & æstimantur, prout ipsi placent. Vndè videmus eos qui invitis (ut ita loquar) fatis, divitias, nobilitatem, &c. acquirunt; mox evanescere, ut non aliter ac fragilis fungus. Vndè *Proverb. c.* 36. Vidi malum super exaltatum, &c. 499

Humilitas exigit, ne nos officiis obtrudamus, negotijs ingeramus: sed ut nostram vocationem attendamus; & patienter feramus, etiamsi vasa ignominiæ (coram mundo) simus. Nihil non magnum est, quod sit in corpore Christi. 500

Rerum

501 Rerum humanarum administrationis turbatio, provenit exindè; quòd administrantur per homines, non per Deum. Medijs subdolis intrudimus nos, & Deũ quasi cogere volumus, ut nobis conatibusq; nostris impijs benedicat. Indè omnia in peius ruunt, & retrò sublapsa referuntur. Consiliis humanis omnia tribuimus: nec in humilitate & simplicitate, per nos Deum operari sinimus.

502 Qui scit, quòd ex spiritu Christi, opera nostra bona procedunt; & quidquid in nobis est boni; non aliundè quàm ex participatione mystici corporis Christi proveniat. Facilè is gloriam soli Dei dabit omnem: facilè is neminem contemnet, cùm ex æquo unius corporis membra simus: nec dominari in membra, sed capiti ministrari debeamus omnes.

503 Omnia in nobis operatur Christus: quod bonum est facit; quod malum tollit.

504 Quidam non peccant in hoc, vel illo genere delicti: alij hoc eodem delicto inquinati resipiscunt. Ergò à Deo factum est, ut hoc non essent, qui nunquàm fuerunt; à quo factum est, ut hoc non semper essent, qui fuerunt: à quo etiam factum est, ut scirent utrique, à quo factum est. Omnia pos-

sum

ſum in eo, qui me confortat: Conforta me ut poſſim! Da quod jubes, & jube quod vis!

Non ambire debemus honores, eruditionem niſi in ſimpliciſſimâ ſimplicitate. Spiritus enim Sanctus nobis largitur dona & gratiam abundanter; pro fidei noſtræ menſura, id eſt, prout nobis neceſſarium erit ad operandum, in & ex fide. Si plùs deſideramus, hoc jam magis impedit quàm ædificat. 505

Chriſtus 30. annis tacuit, qui tribus tantùm annis prædicavit. Diù in ſilentio eſt diſcendum; quod poſteà in publico ſit docendum. Nunc multi priùs ſunt imperitorum magiſtri, quàm diſcipuli doctorum. 506

Poſt ſacrum Baptiſmatis myſterium, & poſt glorioſum Patris teſtimoniorum, tentatus eſt Iheſus per Diabolum: ut oſtenderetur, Deum, cùm ſervis ſuis ſingularem exhibet gratiam, id non facere, ut eos reddat ſecuros: ſed ad majores ut labores efficiat fortes & aptos. 507

Doctrinæ ſeculares, poſſunt æſtimare ſeculum; quanquàm ejus Dominum non inveniunt. Quoniam non propinquat niſi obtritis corde, nec invenitur à ſuperbis; non ſi illi curioſâ peritiâ numerent ſtellas, & arenã, & dimetiantur ſidereas plagas. Exultant & extol- 508

& extolluutur qui sciunt, & per impiam superbiam recedunt ac deficiunt in lumine tuo: tantò antè Solis defectum prævident, & in præsentiâ suum non vident. Non enim religiosè quærũt, undè habeant ingenium, quo ista quærunt. Multa vera de Creaturâ dicunt, & veritatem, creaturæ artificem non piè quærunt: & ideò non inveniunt. Aut si inveniunt cognoscentes Deum, non sicut Deum honorant, aut gratias agunt. *v. August. 5. confess.* 3. Infelix homo qui scit illa omnia, te autem nescit. Beatus qui te scit etiamsi illa nesciat. Qui verò te & illa novit, non propter illa beatior; sed propter te solùm beatus est. *c.* 4. Vanitas est mundana, ista etiam nota profiteri; Pietas autem tibi confiteri. *c.* 5.

509 Sola humilis fides ducit ad Deum. Quidam hoc poscunt per curiosas visiones, qui ideò digni habiti sunt illusionibus. Elati enim Deum quærunt doctrinæ fastu; exerẽtes potiùs, quàm tundentes pectora. *Aug. 10. confess.* 42.

510 Qui intelligit, confiteatur tibi; & qui non intelligit, confiteatur tibi. O quàm excelsus es, & humiles corde, sunt domus tuæ. O altitudo Mysteriorum: quòd altissimus respicis humillima, media contemnis.

In va-

In vanum Deum quærit, qui non tenet mediatorem Dei & hominum; humilis humilem. Felix is qui novit, cujus rei magistra sit infirmitas ejus. Non fiduciâ nostri longiùs est progrediendum; sed potiùs infirmari debemus: videntes ante pedes nostros infirmã divinitatem, ex participatione tunicę pelliceæ nostræ. Vt lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens leveret eos. *August. 7 confess.* 18. 511

Pietas est sapientia, & noli velle videri sapiens: quoniam dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Sequi Ergò debemus humilitatem Christi, sapientibus absconditam, & parvulis revelatam. 512

Etiam qui præsident, plus per humilitatem & dejectionem; quàm per diligentiam & executionem, officio suo præesse debent: non ut diligentiam excludamus & sedulitatem. Verùm non tam respectu eorum, quos gubernat diligens & sollicitus esse; quàm versus illum sub quo ministrat, fideliter & humiliter se gerere debet. Hoc existimationem auget, acceleratque benedictionem. At nos quàm procul ab istâ secedimus humilitate? pompâ & vanâ reputatione, auctoritatem studemus augere. 513

Quia Fama nostra, non alicujus excellen- 514

tiæ, sed

tiæ, sed solùm simplicis & communis Prudentiæ, vitæque integritatis æstimatio est; Humilitas non obstat, quò minùs ejus curam aliquam habeamus.

515 Nimiam autem & superfluam conservandæ Famæ curam adhibere, aliquandò malæ vitæ niditium reputatur. Amanda, non adoranda est fama nostra.

516 Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te; non defendetur ab hominibus judicante te; nec eripietur damnante te. Et ille qui gaudet sibi, plùs laudari se, quàm ipsũ donum Dei habere, quod in eo laudatur: etiam iste, Deo vituperante, laudatur. Et melior jam ille qui laudavit, quàm iste qui est laudatus. Illi enim placuit in homine donum Dei: huic ampliùs placuit donum hominis, quàm Dei.

517 Sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contẽptu, vaniùs gloriatur; ac de laude quam ab aliis habet.

518 Philauti sunt, & sibi placentes, multùm tibi (Deus) displicentes. Non tantùm de nõ bonis quasi bonis, qui sibi placent: verùm & de bonis tuis, quasi suis. Aut etiam sicut de tuis, sed tanquàm ex meritis suis: aut etiam sicut ex tuâ gratiâ, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes. De vanitate famæ

famæ (quæ facit homines bis mori) v. eleg. Petrarcham. *in Triumpho Famæ.*

Si gloriola te sollicitum tenet; respice quàm celerrimè omnia oblivione deleantur: quàm inanis Famæ sonus, quanta incōstantia & incertitudo opinionum humanarum, quàm arcto hæc omnia includantur loco. Quippè punctum est terra; atque hujus ipsius quàm exiguus angulus habitatur? Quot in hoc ipso angulo regiones, nil de viris celeberrimis noscunt. Quot in patriâ & circum nos sunt, quibus sumus ignoti? 519

Qui Famæ post mortem cupiditate ducitur; non cogitat quemlibet eorum, qui ipsius mentionem sint facturi, mox ipsum etiam moriturum; deinde itidem eum qui huic succedit: idque eò usque, dum omnis memoria, per attonitos inani famâ extinctosque homines propagata, aboleatur. *Anton. lib.* 4. 520

Ex eo quòd summi artifices, plerunque magnis moralibus vitiis sunt inquinati: disce fructus scientiæ naturalis boni & mali. 521

Sæpè etiam electi, incidunt in peccata, affectibus & concupiscentiis tentantur, iisque frena laxāt. Quod ideo permittit Deus, 522

non

non ut cadentes lædantur ; ſed ut viribus ſuis diffidant, & humiles ſub manu Dei ſe contineant: quæ ſola ipſos ducit rectè. Sicq; matres interdum infantes permittunt debiles tentare greſſus: non ut ij cadant, ſed ne in poſterum tibijs ſuis fidant.

523 Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Infelices igitur divites ſpiritu; nam ipſorum eſt infernus. Spiritu Dives eſt, qui divitias in animo ſuo; & animum ſuum in divitijs poſitum habet: ſive jam eas poſſideat, ſivè ſecùs.

524 Veros Chriſtianos demonſtrat paupertas ſpiritualis, (Die gelaſſenheit) & charitas erga proximum: alia ſi quæ feruntur indicia, fallicia exiſtunt.

525 Si ſine peccato non licet cum affectu poſſidere ſuum: quàm quæſo graviter peccabunt, qui poſſident alienum? Fideles omnia lubenter amittunt; quia omnia poſſident in Deo, ſine appropriatione.

Avaritia, Febris eſt monſtroſa: quæ quā-
526 tò violentior eſt, tantò eſt inſenſibilior. Nullus unquàm avarum ſe fatebitur, quilibet ab hâc animi vilitate abhorret. Objicitur excuſatio; quòd liberi premant, quod ſapientis ſit Filijs theſaurizare.

Canis

Canis avarus dimittit, quod (à Domino) habet, & captat quod ipsi porrigit etiam ignota manus. Idem evenit nobis: quicquid Fortuna exspectantibus porrigit, illud sine omni voluptate dimittimus; & statim ad rapinas alterius erigimur. 527

Miraculum est stupendum: Cor humanum non accipitrem satiare posse: cùm tamen idem, ejusque cupiditates, totus Mundus satiare non possit. 528

Homo conditus est, ut habeat tantùm quæ ipsi necessaria sunt. Igitur graviter peccat, si quis vestibus, & alimonijs, ad pompā, superbiamvé abutatur. Vt docet historia divitis Epulonis. 529

Opes non vituperare, sed contemnere debemus. 530

Multi vitam & animam periculo cōmittunt; ut habeant undè vivere possint: qui negligunt finem, ut accessorijs potiātur; qui equum vendunt, ut fœnum emant. Quidam divitias possident, ut æger Febrim: quę ægrotum tenet, non tenetur; qui pauperes vivunt, ut divites moriantur. In quā æstimatione divitiæ sint apud Deum, ex eo apparet; quòd is eas impiis dat plerunque: in quorum sinum eæ mittuntur, non secus ac si in cloacam caderet marsupium argenti plenum. 531

plenum. Argentum ſuum Salvator noſter Iudæ commiſit adminiſtrandum: cæteros Apoſtolos: non minùs illo dilexit.

532 Supremus Imperator Mundi, noluit habere, ubi reponeret caput; ut ejus exemplo mundum contemnere diſcamus.

533 Avaritia ſemper cum invidiâ eſt juncta; putat ſe perdere avarus quod non acquirit. Sollicitudinem individuum comitem habet; adimere ipſi pecuniam quam habet, eſt lædere princeps vitæ membrum. Theſaurus enim incluſus eſt; ipſius cordi.

534 Si divitiis quas poſſides delectaris, plurimùm occuparis: & cùm eas perdas, ſi ſummoperè te affligi ſentias; certò certius eſt, te perfectè pauperem ſpiritualem non eſſe.

535 In timore Chriſti, in nomine Chriſti exhortor: quicunque non habetis temporalia, habere non cupiatis; quicunque habetis, in eis non præſumatis. Dico autem, non ſi iſta habetis damnamini; ſed ſi in iſtis præſumatis damnamini; ſi propter talia, magni vobis videamini: ſi generis humani conditionem communem propter excellentem unitatem, obliviſcamini. Poculum hoc diſcretionis, ex Apoſtolicę prædicationis fonte haurire debemus.

536 Nō noſtrum eſt quod poſſidemus, à Deo illud

illud colendum accepimus ; ut fructus & utilitas indè redundet. Vndè nostra istius colendi cura, haut ingrata illi est. Quæ tamen cura, non ut Mundanorum, turbulenta, tristis, aut molesta est; sed dulcis, pacifica atque tranquilla.

Qui pauper est & mortem non timet, 537
ille iam multis curis anxietatibusque est solutus. *V. Boterum (de' detti) ubi de Hilarione f. 79. & seq.*

Dives est imbecillior in pugnâ spirituali; 538
pariter ut is qui luctatur, si vestibus sit oneratus. *Botero f. 142. b.*

Magna indigentia nascitur, non ex inopiâ 539
magnâ; sed ex magnâ copiâ. Quisquis igitur multa habens, cavere atque prospicere velit, ne quid egeat, nevè quid desit: jacturâ opus est non quæstu. *Agell 9. c. 8.*

Si pauperes amaveris, verè de eorũ Pau- 540
pertate participabis, & pauper eris, ut illi: amor te assimilabit illis quos amas.

Non cujusvis est, voluntariam eligere 541
paupertatem! quod & Plutarchus agnovit in Pericle *n.* 12. Quidam enim ad finem sibi propositum non indigent instrumento divitiarum; quidam divitijs opus habent, ut succurrant ijs, qui eas contemnunt.

Paupertatem spiritualem exercere pot- 542

est dives. Facilè contigit, ut aliquâ re indigeas etiam dives: quotidiè aliquid contingere potest, quod te pauperiorē, aut in magno aut in parvo reddat. Bono hæc omnia animo accipias, removeas impatientiam.

543 Realiter qui est pauper, etiam spiritu hoc fit, in patientiâ si non deficiat. Si paupertas tibi displicet; non pauper es sed voluntate dives Velle pauperem esse, & incommoda pati nolle, ambitio nimia est.

544 Paupertas spiritualis, non est paupertas nominetenùs; sed quæ voluntariè sustinetur, & prompta est ad perferenda quælibet propter Deum.

545 Hi verò sunt pauperes atq; mendici spiritu; qui omnes divitias suas spirituales, sapiētiam, lumē, fidem & dona Dei, à Deo petūt; & quamvis ea impetraverint, non tamē videri volunt ullâ ratione excellentiores: sed omnem honorem, vires omnes, vigorem omnem Salvatori nostro ferunt acceptum.

546 Omnibus creaturis ad usus à Deo ordinatos uti quimus: modo non aliter ijs utamur, quàm ut instrumentis providētiæ Divinæ; ut interim Cor, intellectus, voluntas, omnesque nostræ vires, ad honorem ministeriumque Divinum sint promptæ, paratæque. omne ergò quicquid facimus, facere debe-

debemus in nomine Dei, in ejusque honorem, in quacunque vivamus conditione; sine affectione vel concupiscentiâ rei cujuscunque. Omnes creaturæ sunt bonæ, nihil ibi nisi affectio (das annemen) est mala. affectus nostri ad Deum, pro Deo, & in Deum directi esse debent.

547 Quærere solùm & ante omnia debemus Regnum Dei; cætera adjicientur nobis, id est, sine nostrâ curâ & industriâ aderunt: ita tamen ut laboremus, quemadmodùm aviculæ; sed sine sollicitudine.

548 Non potest esse beatus, qui in externis quærit tranquillitatem.

Non horam secum esse potest; non otia rectè
Ponere: seq; ipsum vitat fugitivus & erro.
Iam vino quærens, iam somno fallere curam.
Horat. 2 sat 7.

549 Nō spoliamus carne, ac Mundo Christianum, sed exigimus, ut ibi sit tanquam peregrinus. Laborans diligenter, semper tamen perpendat laboris sui vanitatem. Sollicitudinem Marthæ deponat; ut Regnū Dei quęramus primùm, & quę postea nobis adjiciūtur, accipiamus tanquàm ex manu Dei.

Terreſtria habeamus,ut neceſſaria; non ut bona.

550 Deus non vult, ut cor noſtrum alicubi quietem inveniat, priusquàm ad Deum, â quo exivit revertatur: non plus quàm columba egreſſa ex arcâ Noæ. Nihil enim eſt in rerum naturâ, quod non plus damni quàm commodi adferre queat, quod non plures defectus habeat quàm perfectiones. *Perez.f.*247.*n.*105. Nunquàm totalis beatitudo,in particulari reperiri poteſt.

551 Paupertatem ſpiritus qui intelligit, de eo dici poteſt,quod Lucret.canit.

Nikil dulcius eſt, benè quam munita tenere
Edicta doctrinâ ſapientum Templa ſerena.

& quæ ſequuntur.

552 Etiam bona opera noſtra ſunt ex Deo; nec viribus ſuis confidere debet ullus. Indeque D. Thomas, interrogatus quid facturus eſſet, ſi quis atrocem ipſi injuriam inferret?Ego ex Chriſti diſciplinâ,quid mei officij foret ſcio: quomodò verò me ſim exhibiturus, ſolus ſcit Deus; â quo omne bonum opus dependet. *Botero de' detti.f.*

553 125.*b.*

Magis paupertatem propriæ voluntatis pruden-

prudentiæque carnalis, &c. quàm bonorum temporalium expetit, & in nobis amat Deus. *Botero d. Detti f.* 126.*b.* Je mehr eygenthumbs am Willen / vnnd Gütern / je mehr Vnruh / vnd Hellenpein. Et ècontrà.

Si quis res expetat terreſtres, neque liber 554
erit neque ſufficiens ſibi ipſe, neque erit affectuum vacuus: neceſſariò enim invidebit, æmulabitur, ſiniſtra ſuſpicabitur de his qui illa ſibi adimere poſſunt; inſidiabitur iis, qui id quod magni ab illo fit, poſſident. Omninò neceſſe eſt animo eſſe perturbato, qui iſta deſiderat; ſæpè etiam Deum incuſare.

Qui nihil habet, liberalis eſſe poteſt; lar- 555
giens ſuſpiria: vel eam ſolam ob cauſſam, quòd donare nequit.

Etiam Stoici docent, res quas Fortuna ſuppeditat, liberaliter, ſimulque ſine faſtu tractandas eſſe: ſicque Socrates abſtinere potuit, & frui rebus iſtis, quibus & carere plerique per infirmitatem; & in fruendo continere ſe non poſſunt. *v. Antonin. Imper f.* 171. *& f.* 173.

Vita beata, in pauciſſimis poſita eſt re- 556
bus. Neque quia deſperâſti te eruditum futurum: idcircò etiam liberum, pudicum, ſociabilem, Deoque obedientem te fieri non poſſe puta.

557 Non possumus Christũ sequi, nisi omnis secularis curæ fuerimus experti. *Chrysost.*

558 Porphyrij, *in lib. de sacrific.* doctrina est: Eum qui paucis contentus vivit, & innocẽs est: Deum esse. Ex quo viderint illi, quo jure sese appellitent Deos, qui nec Regijs opibus volunt esse contenti; & innocẽtes se esse putant, cùm à nemine corrigi possunt.

559 Stude vacuum ut sit in corde tuo, id est, ut cor tuum vitijs careat (hoc Taulerus vocat die gelassenheit) Non opus est ut bonum facias, quemadmodùm operosa Martha: sed non fac malum. Tunc enim cor tuum spiritu non vacuum erit; sed Christus intrabit & operabitur in te virtutes.

560 Heraclitus rectè dicebat; siccum lumen optimam animam esse: illam verò quæ cupiditatibus carnalibus est inquinata, humo affigi; hanc è corpore, non aliter ac è nubibus fulmen erumpere, cœlumque petere. *Plutarch. Romul. ad fin.*

561 Non illustris is judicandus, & meliori constitutione præditus, qui clarâ morte occubuit; aut peritissimè cum sophistis disputavit; aut patientissimè in frigore pernoctavit; ac qui in Republicâ malis fortiter repugnavit, ac in vijs majestatem vultus præ se tulit. sed hoc considerandum est, quo ani-

mo

mo quis sit; an potuerit contentus esse? an justus ergà homines sit, pius erga Deum? An neque temerè ob aliorum malitiam indignetur, neque ullius inscitiæ subserviat; an nihil eorum, quæ ei Deus attribuit, tanquàm peregrinum, ut intolerabile acceperit; an affectibus carnis consentientem mẽtem præbeat?

Eleemosynam qui dant ex bonis malè acquisitis: & qui centesimam rapinæ partẽ devovent Deo; Deum corrumpere nituntur donis, & eum latrocinij injustitiæq; suæ socium facere conantur. Abominatio id est summo Deo; qui non habet pro sacrificio pretium canis, vel mercedem meretricis. Ita etiam faciunt illi; qui subditos suos exsugunt, opprimunt: pauperes eos reddentes, & pòst eleemosynis eos sustentant. Audiamus & sequamur Apostolum, *Ephes.* 4. Qui furatus est, non ampliùs furetur. 562

De Monachis canit Stephanus Doletus: 563

—— Cucullatorum habet
Grex id subindè in ore, se esse mortuum
Mundo: tamen edit eximiè pecus, bibit
Non pessimè, stertit sepultum crapulâ.

Operam Veneri dat, & voluptatum assecla.
Est omnium. Id ne est mortuum esse Mundo?

At omnes Christiani Christo vivere, & mũdo mortui esse deberent: in omnes ergò quadrant hi versus ijdem.

564 Fruamur ijs quæ scimus; non alta mysteria indagemus. Nimirùm Deum solum appetamus, sequamur; & eum in nobis operari sinamus. non nostrâ curiositate diligentiam ejus præcurramus. Meliùs Ergò est facere quod scias; quàm discere quod nescias.

565 Quò magis Deo appropinquamus: hoc est, quò pauperiores sumus spiritu; eo majori lumine fruimur.

566 Paupertas spiritualis, non solùm exteriori quoque oculo perspicua peccata detestâtur; Vsuram, rapinam &c: sed ultrâ procedit; agnoscitque Providentiam Divinam, quæ omnibus creaturis etiam inanimatis, nutrimentum; succumque distribuit; omnemque curam rerum externarum reijcit ad illam Providentiam Divinam. Res quoque in dominio nostro sitas, agnoscamus ad Divinam illam providentiam pertinere; earum nos depositarios esse, atque dispen-

dispensatores: quas secundum voluntatem Divinam distribuere debemus, ut nempè voluntas Divina in cœlo & in terris fiat. Nec ægrè feramus, eas secundùm Dei voluntatem nobis adimi. Et hoc est quod D. Paulus ait. 2. *Cor*. 6. emere tanquàm non possidentes, &c. Detestatur concupiscentiam bonorum externorum: cùm scopum ibi figimus, vel ea postponimus vero fini. cùm putamus nos Divites, Principes, aut Reges esse; quòd id mereamur præ alijs hominibus infimæ sortis. Detestatur eos, qui artes & scientias acquirendi & conservandi bona illa externa, aliter usurpant, ac pura instrumenta providentiæ Divinę: quibus nobis necessaria acquirimus, & utilitatem proximi promovemus.

Nimis magnæ inquietudines non sunt 567
bonæ. Vndè quidam in India probavit solem non esse Deum; eò quòd in continuo sit motu. *Botero f.* 172. *& b.*

Nihil magis à nobis requirit Deus, quàm 568
Sabbathum: ut ipsi feriamur, & non repugnemus: ut quiescamus ab omnibus operibus nostris, & præsertim à nobismetipsis. Tunc enim Deus non est otiosus. Et hæc est unio Dei ac mentis.

Cum Salvator eo fine venerit in hunc 569

mundum, ut tolleret peccata, & non solùm ea expiaret; sed & proprio condemnaret exemplo: convenientissimè propterea elegit paupertatem, & exterminaret cupiditatem; Humilitatem, ut confunderet superbiam; vitæ asperitatem & labores, ut inordinatas damnaret illecebras atque voluptates.

570 Mors, vita, honor, ignominia, dolor & voluptas, opes & paupertas; omnibus cùm bonis tum malis contingunt. Ergò per se, neque bona sunt, neque mala.

571 Bonum est fugere divitias, totoque se penitùs abdicare mundo: quibus hoc à Deo est datum, ut indè liberiùs Euangelium annuncient; puro qui hoc faciunt affectu, ut conformes fiant capiti nostro (Christo) Qui cum mundo conversatus fuit, nec tamen honoribus, voluptatibus mundanis, delitijsque ejusdem participem se fecit. At verò fugere Mundum, & quærere desertum, vel Monasterium, ut fugiamus peccandi occasiones; hoc est, accusare creatorem, qui non fecit creaturas, ut nos incitarent ad peccandum. Affectus nostri nos ad peccandum inducant: non tamen hoc mũdo utentes, tanquàm non abutentes.

572 Perversa quidem nostra natura, semper abutitur creaturis: sed purgante quasi re-

medio

medio utitur Deus, quo nobis eximat illam affectionem; dum afflictiones, inopiam, cõtradictiones, carnisque immittit tribulationes. Nullam conditionem, statum, vel officium condemno: modò omnia ad Deum purè, simplicique corde referãtur; nec ibi aliquid fiat, quod sit contra Divinam legem vel charitatem.

Ama est quærere solitudinem, non tantùm mentalem: verùm & subinde localẽ. Non ut fugias ad deserta: sed ut aliquandiù in cubiculo tuo hæreas, in horto & alibi, donec pro voluntate tuâ, Spiritum tuũ, ad cor tuum, & animam tuam, per pias & sanctas cogitationes reduxeris, aut per lectionem piorum librorum refocillâris. 573

Solitudo illa, nõ modò peccandi submovet occasionẽ, & caussas ob quas potissimũ cor & sensus distrahuntur tollit: sed etiã hominẽ solitariũ vehemẽter excitat; ut animũ ab omnibus rebus sensibilibus avocet, secũ habitet, cum Deo incessanter conversetur. 574

Rudiũ & abjectæ sortis hominum est, solitudinẽ, rura, littora, montes quærere. Tibi quâcunque visum fuerit horâ, licet in te ipsum recedere: nusquàm enim, neq; tranquillior, nec majoris otij secessus hominib. datur, quàm ad animum suum. Præsertim 575

ei qui intus ea habet, in quæ aſpiciens, ſtatim ſummam animi tranquillitatem reperit. Benè nimirùm omnibus intùs compoſitis. Continenter igitur te eò recipe, ac te ipſum renova. *Antonin. in Vita libr. 4. à princ.*

576 Etiam ij, qui non ex vanâ ambitione, vel deſperatione, & indignatione; ſed eo fine ſolitudines quærunt; ut ibi à vitiorum vitioſorumque turbâ ſemoti, majori cum devotione Deo inſervire poſſint; non eum quem præfixum habent ſcopum attingunt. E mundo exeuntes, aliâ viâ eundem denuò ingrediuntur. Non etenim habentes cui ſemet comparent, admirantur ſemetipſos. Diabolus Chriſtum ſequens in deſertum, eum locum tētationi maxumè accommodum judicavit. Quemadmodùm fieri poteſt, ut mundanus aliquis ſit & vitioſus in deſerto; ita fieri poteſt, ut in magnâ multitudine hominum viventes, ſolitariè vivamus, vanitatis ut ſimus ſpectatores ſine ejus participatione. Cum humilitate eſt ferenda importunitas mundanæ converſationis, aliorumque imperfectiones vel tolerandæ vel quantùm fieri poteſt, ſaltem exemplo ſunt corrigendæ.

577 Qui ſordidas profitentur artes, usque ad

certum

certum finem ſeſe alijs hominibus accommodant; nihilominùs tamen ſuæ artis retinent rationem. Ita & Chriſtianus facere debet: converſationem cum alijs non fugiat, ſed obſervet profeſſionis ſuæ rationem.

Non modo recta agendo, ſed & pauca a- 578
gendo, animi tranquillitas comparatur. Nã ex his quæ plurima & agimus & loquimur, ſi quis ea quæ non neceſſaria ſunt tollat; is & majore otio utetur, & pauciores perturbationes experietur.

Non Deus vult ut curramus, operemur 579
& velimus: ſed ſolùm ſabbathum noſtrum requirit, ut ipſe opus ſuum in nobis operetur.

Quamvis non magna virtus ſit Parenti- 580
bus &c. in rebus indifferentibus obedire; tamen maximum vitium foret, obedire nolle: ut taliter vel taliter veſtiaris, per hanc vel illam viam incedas, &c.

Mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis, mira- 581
biliter eos ducit: ſæpiùs ſagax inſtitutorum cura nil proficit, & vehementes nil efficiunt prohibitiones. nam educatio ſeverior ſine tuâ (Domine) gratiâ, nil efficit, niſi ut callidiores evadamus; quò probos parentes aſtutiori dolo decipiamus. Nihil valet adverſus latentem morbum, niſi tua medicina

vigilaret super nos. Potiùs Deus nos subdit parentibus, quàm Parentes Deo nos subdunt. ¶. *Elegans exemplum apud August. in. confess. c.* 8. Ergo parentes nil sibi attribuant, faciant quicquid possunt. Non scandalum præbeant: sed omnia interim Deo committant; puro corde Deo Liberos offerant.

582 Deus fluxum seculorum ordinans turbulentum, sæpè de alterius animæ insaniâ, alteram sanat.

583 Extra Deum nihil est nisi vanitas, & ipsum nihil. Quisquis enim extra Deum, seu extra usum à Deo creatum subsistit; jam in vanitate versatur, & absorptus est abysso nihilitatis.

584 Omnes & singulæ res nos docent, quo modò Deum amare debeamus: cùm omnia maneant in eo statu in eoq; usu subsistant, ad quem condita fuerunt. Et etiam vitia peccatoresque concionantur, & nos instruunt quâ ratione, quo conatu Deum cõveniat amare. Ama Deum, ut avarus aurum; ut stultus & ridiculus Amator puellam; ut ambitiosus honores.

585 Omnium motuum animi, Rex est amor: omnia ad se convertit, ad nos tales efficit, quale est objectum ejus. At amicitia periculosissimus omnium est amor: quia alij

amores

amores possunt esse sine communicatione: Amicitia verò mutuus est amor.

In amicitiâ, communicatio tanquàm fundamentum requiritur. Amicitia ergò in communicatione voluptatum carnalium, rerumq; frivolarum & vanarum fundata; omninò falsa, vana est & perniciosa. 586

Sicut omnia quæ ad sensus pertinent; sic & amicitię indè provenientes, sensuales, vanæ, frivolæque appellantur: & potiùs petulantiæ, quàm amicitiæ merentur nomen. 587

Petulantes amicitiæ, inter homines diversi sexus, & sine prætensione matrimonij exercitæ, dicuntur Amores. Omnes hæ amicitiæ, malæ sunt, periculosæ plerunque, & semper vanæ. Quodcunque Iuvenes aut Fœminæ, loquuntur aut faciūt simul, summis stimulis subjacet: omnes vanitates amorum inter se (à primo usq; ad ultimum actum) sunt conjunctæ; & sese eodem modo consequuntur, sicut ferrum ab Adamante attractum, aliud consequenter sibi adnectit ferrum. 588

Si de verbis otiosis, tam rigidum examen est instituendum: quid de amicitijs otiosis, impertinentibus, ridiculis & pernitiosis dicendum erit? 589

Ami-

590 Amicitia in quâ est communicatio sciētiarum laudabilis habetur; perfecta est ea, si virtutes communicentur: sed si mutua & reciproca communicatio, de charitate, devotione & perfectione Christianâ fiat, ea amicitia erit pretiosa. O quàm jucundum est amare in terris; sicut in cœlo amamus. Omnes amicitiæ, si cum hâc comparentur, non nisi umbras dixerim.

591 Vanæ amicitiæ, non solùm sunt dissolvendæ sed dilacerandæ: non solvenda hæc vincula, sed rumpēda sunt aut disscindēda.

592 Si propter imperfectam pœnitentiam, adhùc perversæ inclinationes supersunt; ad mentalem animæ tuæ solitudinem te confer, & quantùm poteris, in illam secede.

593 Amandus est amicus, non obstante imperfectione ejus: sed nec amanda nec acceptanda est imperfectio illa. Amicitia namq; communicationem boni, non mali requirit.

594 Amicitia nostra peccatis subjacet absq; dubio, si vitijs obnoxius est amicus: quia namq; veram virtutem agnoscere nequit, ridiculam aliquam virtutem & qualitatem sensualem consideret, necesse est.

595 Contagium quod corpori inferunt meretrices impuræ; imago est labis quâ eæ-dem

dem animam conſpurcant atque corrum-
punt.

Mirabilis eſt amor Divinus; fecit is, ut 596
quod hîc odio habemus (nimirùm nosmet-
ipſos) inveniamus in vitâ æternâ. Pariter ut
ſtultus noſtri amor facit amittere id in vitâ
aliâ, quod nos ita perditè quærimus in hâc
ipsâ.

Vnicè Deum amare convenit; & quo- 597
que cùm proximum amamus, non aliter
hoc facere debemus, quàm intuitu Dei. Ali-
ter enim ſi ipſum ut hominem amamus, re-
ſpicimus qualitates, & perſonam. Ita purus
eſt amor Divinus, ut nolit habere corriva-
lem. Inde dicitur, *Matth.* 19. *Luc.* 14. qui nō
odio habet parentes, uxorem, &c. non me
eſt dignus. Anne vult ut ſanguine proximos
odio proſequi debeamus, qui præcipit ut
inimicos diligamus? Nullo certè modo. Sed
talem in nobis vult ſui amorem, ut omnia
in Deo ſint quaſi ſubmerſa, & propter il-
lum ſolum à nobis amata. Ex illo fonte a-
moris inexhauſti, rivuli ad alios abundè
profluere debent.

Amare converſationes, & eas fugere, duo 598
ſunt extrema, maxumè deteſtabilia in de-
votione. Fuga namque earum, dedignatio-
nem & contemptum proximi: Amor & per-
ſequu-

ſequutio, otium & mentis inſtabilitatem deſignat. Amare oportet proximum, ſicut ſe ipſum: quòd ut fiat, non eſt ab illo fugiendum.

599 In omnibus converſationibus, candor, ſimplicitas, manſuetudo, & modeſtia ſemper præferantur.

600 Si in converſatione non eſſe potes propter iracundiā, &c. noli eas fugere: illa enim vitia non fugiendo ſed perpetiendo vincūtur. *Botero d. detti f.* 136. *b.*

601 Qui manu victum quærunt, nos minimè contemnere & nobis poſtponere debemus; vocationi enim obediunt divinæ, quæ vult ut in ſudore vultus panem edamus noſtrū. Vtinam litteratores otioſi, alijq; nonnulli ita de ſuâ vocatione certi eſſe poſſent.

602 Non debemus alios judicare, Multa enim facta quæ hominibus improbanda videntur, teſtimonio Dei ſunt approbata: & multa laudata ab hominibus, Deo teſte damnantur: cùm aliter ſe habeat ſæpè ſpecies facti, & aliter facientis animus, atque articulus temporis occulti.

603 Veſtitus debet, in fœminis præſertim, eſſe modeſtus, omni laſciviâ & vanitate carens. Si amare nolunt, ad quid Amoris inſtrumēta geſtant? Qui hoſpites hoſpitio excipere

tenuit, necesse est ut signum aufferat, prætereuntes ad divertendum invitans.

Mulierum puellarumque pars major, vana est, & vanitas ipsa: non ex sexus imbecillitate, sed ex fine suæ professionis. Hoc solùm student, studere vanitati. Ex corpore suo Idolon faciunt, & id tamen tormentis, ac gehennâ quâdam vexant: justam vindictam à se ipsis ipsæ capientes. Id quod nobis est datum, ut peccatum obtegamus, in peccatum est conversum: quo ignominiam nostram occultare debemus, medium est & instrumentum, quo gloriam & reputationẽ propagemus. humilitatis quod admonere debuisset, superbiæ est subjectum. Videte quæso Diaboli nocendi artificia, qui omnia convertere studet! 604

Amor extremũ est punctum, ultima margo, quo nos affigimur objectis. Pondus est animæ nostræ, quo tendit ad id, ubi putat tranquillitatem & requiem se inventuram. Ergò amor Idololatricus est, qui non complectitur Deum ejusque promissiones, & in Deo solùm creaturas. Aliorsùm si tendit noster amor, quàm ad verum tranquillitatis portum; agitatio est irregularis, & motus sine scopo: qui vel lassitudine, vel desperatione terminatur. Perpetuitatis 605

tatis hujus motus caussa est imbecillitas & instabilitas objectorum creatorum: quæ cupiditatem nostram non possunt satiare. Nō possumus collimare ad percutiendum avē prætervolantem. Acus nauticę pixidis, semper immota manet, etiam si fluctibus tormentisque navis agitetur; quia nempè cœlo gubernatur, idque respicit solùm. Ita tranquillitate perpetuâ fruitur pius, spem suam in Deo fixam habens, in medijs confusionibus affiictionibusque mundanis.

606 Deus & natura nihil faciunt frustrà: desiderium ergò infinitum, insatiabilisque appetitus qui est in homine, frustraneus esset: si non esset aliquid, quod eum satiaret. Et hoc in terrâ cùm non inveniamus, quærendum est illud in cœlo, in ipsoque Deo, qui est infinitus. Deus creavit mundum propter hominem. Ergò homo creatus erit propter aliquod melius ipso mundo: nempè propter Deum ipsum.

607 O Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te!

608 Solus amor Divinus est perfectus, quia non solùm nos cum re amatâ unit. quod etiam facit amor prophanus; sed in eam nos transformat. 2. *Cor*.3. Si virginem pulchram

chram amamus, non ideò reddimur pulchri. Deus non solùm est bonus, sed & eos qui eum amant, bonos facit.

Nihil est reverâ bonum, quàm quod possidentes facit bonos. Solùm illud verè est bonum, quod cùm possidemus trãquilli sumus, & nihil appetimus ultrà. Et hoc est Deus. Qui enim Deum habet, jam est contentus, jam nihil appetit ultrà. 609

Cætera præter Deum, sunt quidem; quia abs Deo sunt: non sunt; quia id quod Deus est non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet. Ergò debemus Deo inhærere: quia si non maneamus in eo, nec in nos poterimus. Is Dominus noster est, quia nostrorum non eget. 610

Vnum & Bonum convertibilia sunt; & nempè adoptione Vnitatis omnia sunt bona. Qui deficit ab uno & bono, deficit ab ipso esse. Sed quia semet destruere nequit; incipit esse quasi ad nihilum tendens (non quò ad substantiam, sed quoad voluntatẽ; nam Deus etiam malis utitur benè) Et hoc est lapsus, hoc est infernus, hoc est malum, hoc est mors secunda. Vnusquisque felicitatem suo metitur appetitu. In firmo, sanitas summum est bonum: ambitioso honor: pecunia avaro. Ex hoc inordinato appetitu subsequi 611

ſubſequi ſolet ; ut non cognoſcat Deum alium quam pecuniam avarus, honorem ambitioſus, &c. Ergò Deum appetamus, Cœleſtia quæramus; ſi non velimus committere Idolomaniam.

612 Peccatum admittitur, dum immoderatâ inclinatione ad ea quæ extrema bona ſunt (honores, divitias, & alia mundana) meliora & ſumma deſeruntur: Dominus nimirùm ſummus, veritas & Lex ejus.

613 Omnia quę boni ſpecie ad vitia nos invitant; in Deo vera ſunt, pura, atque perfecta. Fornicatur anima, cùm avertitur à Deo, & quærit extra Deum, quæ pura & liquida non invenit, niſi cum redit ad Deum. V. *Auguſt. confeſſ. 2. c 6.*

614 Deficientia à ſummo bono, eſt malum; & hæc conſiſtit in voluntate, non in poteſtate: quia id quod mali faciũt, dirigit Deus ad bonum. Boni ſemper ſunt potentes; quia poſſunt quod volunt. Mali non ſunt potentes, etiam cum poſſint facere mala. Peccatũ ſeu malitia eſt pœna ipſorum, & impotentia major. Si quis viſu poſſet penetrare corda Regum, præſertim Tyrannorum; cognoſceret eos eſſe miſeros, catenis ſcelerum ligatos, & paſſionibus anxijs.

615 Cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt,

ecce

ecce undique mihi dicunt, ut te amem: nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus eris: & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin & cœlum & terra, surdis loquuntur laudes tuas.

Homines possunt per ea quæ facta sunt, 616
conspicere invisibilia Dei. Sed illis amore subduntur; & subdita judicare nō possunt.

Infimus est gradus amoris Divini, sed ta- 617
men Deo non ingratus; si Deum amamus, propter beneficia quæ ab ipso accipimus, in creatione, sustentatione, &c. Sic David *Psalm* 116. ait: Amo æternum, quia me exaudivit. *v. Psalm.* 18. sed inprimis magnum est opus redemptionis: non solùm pro nobis Filius orat, sed & solvit. Et ita redemptio hæc, non solùm est misericordiæ opus, sed & justitiæ effectus. Ipsa vita oppetijt mortem, ut nos vivamus. Idque ut nos ipsius inimici, servi Sathanæ atque peccati, liberi ejusque fratres efficiamur. Nec contenti esse debemus, contemplatione communium bonorum omnium fidelium; sed singulatim ea beneficia considerare, & exindè ad Dei amorem ascendere debemus, quibus in particulari nos affecit. Vel præservando à peccatis, vel retrahen-

trahendo ex peccatis, vel parcendo in peccatis, vel reprehendendo post peccata, vel non puniendo propter peccata.&c: Bestiarum est bibere aquam, nec de scaturigine sollicitum esse. Deus origo est omnis boni; non solùm dat bona, sed & gratiam illa petendi; manum illa apprehendendi, illis utendi facultatem, virtutem gratias reddendi.

618 Ipsa nos vitiosa natura instruere potest, quomodò vivere debeamus. Ama Deum, ut avarus Thesaurum: is animum arcæ includit ubi suum est argentum. Avarus creditor solutionis terminum cum sollicitudine exspectat, cum desiderio calculat. Ama Deum ut stultus amator amicam. Virtutes nostræ debiliores sunt, quàm ut ex se excitentur. Nescimus quid Deo debeamus; si nõ inspiciamus quid cupiditatibus nostris pręstemus. Omne illud Deo subtrahimus fraudulenter, quod cupiditatibus damus libenter.

619 Dolendum est, filios hujus mundi, majori diligentiâ curare sua, quàm filios lucis, quæ ipsis sunt demandata. Cùm illi carnali subsidio, hi Divino auxilio, si id non respuant, adjuventur.

620 Adam post lapsum intellexit se nudum esse:

esse: id est, extra Deum, aut sine Deo, se nihil posse.

Luciferi lapsus evenit, quòd quæsierit beatitudinem seu pacem, quietem suam aut delectationem in se ipso: non in Deo. 621

Deus seu ens increatum, jure reflectitur ad se ipsum. Eodem modo creatura rationalis, ut imago Dei imitativa, etiam reclinat ad se ipsam; amat se ipsam, delectatur in se ipsâ, delectatur se ipsâ. Hæc ergò subtilissima reflexio ad se ipsum, tortuosa hæc reversio ad se ipsum (dieses heimlich vnnd krum einschleichen wie ein Schlang) est serpentina & callida seductio in Lucifero & Adamo: qui voluit fieri similis Deo; nec à Deo, ejusque Lege dependere. 622

Lumen naturæ est deceptio subtilissima; quod cum delectatur se ipso, nec Deū quærit, amittit seipsum, vitam & omnia: tendit enim ad nihilum. Quippè umbra seu imago rei, non per se existere potest; sed necesse est, ut sequatur id, undè dependet. At natura est quasi umbra Luminis æterni. 623

Integer amor, est cupidus integri amati: undè Zelotypia. *Perez. f.62.n.94.* Sic Deus Zelotypus sæpius in S. S. Scripturâ appellitatur: non vult ut Mammoni & ipsi simul inserviamus. 624

625 Malum non est ex bono, tanquàm principio productivo; quicquid enim est ex bono, malum esse non potest. Neque ideò malum comprehenditur sub prædestinationis ratione; quâ parte est malum.

626 Conversationem perfectè bonos habere cum Deo, etiam Ethnici agnoverunt; & exindè tales sapientissimos judicârunt. *v. Plutarch Numa n* 3.

627 Qui Deum non amant nisi propter utilitatem, ij magis se quàm Deum amãt: amor mercenarius est, sed & Deo injuriosus. Magna ergò bonitas est, si Deus nostram tolerat imbecillitatem. sed nos studere debemus altiùs ascendere, & amare Deum, propter semetipsum. Hoc vocat David amare Dei nomen. *Psalm.* 5. *Psalm.* 69. *v.* 37. Et indè oramus ante omnia: sanctificetur nomen tuum. Deus sanè in solâ suâ essentiâ, omnes includit virtutes, quæ sparsæ sunt in creaturis; tanquàm lineæ procedentes è centro, & ibi se unientes: quæ aberrant & quasi evanescunt, quò magis producuntur. Si in puellâ id quod pulchrum est amamus, ob pulchritudinẽ solam (etiãsi nos non amet) cur non Deum pulcherrimum, eodem modo amare deberemus? Lumen est summus pulchritudinis gradus (& ideò omnium

primò

primò conditum id fuit) sine quo omnes aliæ pulchritudines non differunt à fæditate. At Deus lumen est primum, Pater Luminum, Iustitiæ Sol: Sol qui non occidit, qui non facit umbram, cui omnes res creatæ ipsæque densissimæ tenebræ non objiciunt imperium; quod Lumen nec ipsi Seraphin videre possunt. *Esai*.6.2.

Mirabilis est sympathia inter Deum & animam nostram; proveniens ex eo, quòd est imago Dei. Tam fortiter, tamque amanter (quam semel suâ imagine insignivit) humanam animam velut sponsam suam, cõplectitur Deus; ut nulla ejus perversitate, nullo indè pacto deturbari queat. Et ex eo proveniunt conscientiæ & pœnitentiæ stimuli nunquàm in totum desinentes. Vicissim ipsa anima, ad sponsum suum cujus imaginem refert, tantò quoque studio nititur ac tendit; ut nihil eam in hoc Mundo explere, nihil exsaturare valeat, nisi solus Deus: summè bonus, incircumscriptus, immensus. O verè præstantem animæ dignitatem, quam universæ hujus mundi illecebræ afficiunt quidem, sed non reficiunt: quam cunctæ voluptates, irritant potiùs quàm exsatiant; cujus inexplebili capacitati, totus terrarum orbis angustus est: cui 628

autem solus creator suus, perpetuam consolationem, perfectam requiem, gaudiumque nullo felle tinctum præstare potest.

629 Regnum Dei est in omnibus, sed non omnes sunt in Regno Dei: ideò oramus; adveniat Regnum tuum.

630 Meus cibus est, inquit Christus, ut faciam voluntatem ejus, qui me misit &c. Felix qui in veritate hoc dicere potest. id est, qui tanto cum ardore sitit & esurit justitiam, Dei gloriam & salutem proximorum; ut nullam habeat sui ipsius, aut commodi privati rationem.

631 Incapax est spiritus noster, ut cognoscat Deum; sed affectus accendat Deus, ut illum amemus. Fac tu Pater, ut te comprehendamus affectu filiali. Non solum ansam & occasionem; sed & motum ad illum amandum, ab eo petere debemus. Non solùm pauperes sumus bonis, sed & capacitate ea recipiendi.

632 Amor rectus erga Deum, imago debet esse amoris, quo nos complectitur Deus: at ille nos amavit, non nostri sed sui respectu. *Isai*.43.

633 Ita Deum amare debemus, ut omnia in eo amemus: parentes, liberos, amicos: studia, bona nostra, &c. Hominem hisce amo-

ribus

ribus spoliare, est eum ponere infra bruta ipsa. Pietas non eripit istas affectiones, sed excolit, atque ad Deum & ejus dirigit honorem. Omnes amicitiæ nostræ, & erga proximum aliasque creaturas affectiones, propensionesque benè sunt ordinatæ; si rami & rivuli sint amoris, quo amamus Deū. Si sint reflexio nostri visus, qui ex Deo redundat & reflectitur, vel ad ejus imaginem, vel beneficia ejusdem. Cedat ergò amor idololatricus, quo creaturas, non hoc respectu deperimus.

Amicus si propter Deum amatur, peccans reprehenditur & dirigitur. Adulatio omnes amicitiæ proprietates imitatur & effingit: solâ reprehendendi exceptâ libertate. Respectus est plenus crudelitatis; si quis amicum, metuens ne eum offendat, nolit admonere. Stultum est, amicum in aquâ jam subsidentem, & ad fundum tendentem arripere non velle, ne scilicet pilum ei evellamus. 634

Propter Deum, & exemplo Dei, etiam inimicos nostros diligere debemus: & quia retinent imaginem Dei, & sunt quasi virga in manu Dei, quibus nos castigat. 635

Cum dicis Pater noster, eo ipso fateris; 636

omnes omninò homines indifferenter, nostros esse fratres atque sorores.

637 Quis in posterum dedignetur alteri obedire; postquàm Dominus Angelorum, subditus hominibus fuit factus. Considerate hæc, Vos qui quasi ad lineam seu magnetis regulam, quid vestræ dignitati conveniat, quid non? dimetiri soletis.

638 Ad Devotionē plurimùm conferūt opera misericordiæ; quia hæc fiduciā nobis corā Deo apparendi, & Divino conspectui adsistēdi augent. Orationes nostras cōcomitantur, faciuntque ne preces aridæ appellari queant.

639 Plenitudo & impletio Legis, dilectio est: hæc quò esset inter homines major; eò minùs jure legibusq; humanis indigeremus. Indè quod humanæ Leges per aliam quàm hanc viam, unitatem pacemque conservare nituntur; hoc nihil aliud est, quàm superficialiter mederi putrido ulceri: & tamen hâc palliativâ curâ, carere nequimus.

640 Secundâ nostrâ nativitate, quæ fit per spiritum & aquam, membra facti sumus Ihesu Christi filij Dei; & omnes unum patrem habemus eum, qui ab æterno filium suum unicum generavit. Nativitas hæc secunda extinguit primam; & è contrà secundam

eundam illam extirpamus, si primâ nativitate nobis junctos carnaliter, & plus quàm proximos quosque nostros amemus.

Plinius 8. *epist*. 22. Nobile Thraseæ apophthegma refert: Qui vitia odit, homines 641
odit. Ita nempè pronum est in vitia humanum genus; ut difficillimum sit, in homine vitia odisse, quin ipsum quoque hominem odio habeamus. Proindeque summâ moderatione cautioneq; opus est in vitiis exagitandis; ne eâdem operâ ipsos homines exagitâsse videamur.

Non de hominis cujusque bonitate judicandum est, ex uno atque altero facto. Iudicium Deo est relinquendum; qui videt occulta & respicit finem. Si quis animorum inspicere posset secretiora, quàm quæso talia & sexcenta pejora alia videremus. Qui nunc cecidit resurgere cras potest; & qui nunc stat, corruere, sine spe relevationis. 642

Amet in me fraternus animus, quod amandum doces; doleat in me quod præcipis dolendum. Animus talis sive approbet, sive improbet, diligit me. Inspiciant me homines, non qualis fuerim; sed qualis sim. Tege (Deus) quod fuit; quod erit rege! 643

Quis audebit se justificare, alijsq; semet 644

præferre; cùm ipsa justitia inter peccatores voluerit numerari?

645 Quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem, atque innocentiam suam? eadem est Dei misericordia quæ donat peccata conversis, & quæ prohibet ne peccemus. Qui ergò vocatus à Deo, sequitur ejus vocem, & vitat ea, quæ de alijs audit: non derideat ægros ab eo medico sanari, à quo sibi præstitum est, ut non ægrotaret; vel potiùs ut minùs ægrotaret. Et ideò Deum, ac in Deo resipiscentem ampliùs diliget: quia per quem alium videt tantis peccatorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

646 Charitas animum hominis non ingreditur, quin reliquæ virtutes illic simul commorentur; quas illa, tanquàm Dux suos milites, occupat & exercet.

647 Non verè Deum amat, qui non odio habet semetipsum; qui non contra cupiditates pugnat, & per mortem finire hocce duellum avet; qui non corpus ut carcerem portatilem portat. Qui sibimetipsi internecinum infert bellum, pace tranquillâ fruetur apud Deum. In hoc amoris Divini summo gradu constitutus erat Paulus, cum dicebat:

bat: Heu me miserum, quis me liberabit à corpore hujus mortis! *Rom.* 7. 24. Ibi erat collocatus David, cùm Rex potentissimus existens, peregrinum se & viatorem in hâc terrâ agnoscebat. *Psalm.* 39. & 119. Odium hoc difficillimum est, & à Christo Salvatore nostro *Matth.* 5. comparatur, ac si quis sibi præcideret manum. Amor nostri indusium est, quod demum post omnes exuimus affectus.

Diligere nostros inimicos nos docuit 648
Christus; cùm in cruce pro ijs oravit: & ignorantiâ excusavit etiam eos, qui ut auctoritatem & gratiam mundanam conservarent, ipsum cruci affixerunt. V. *Guevar. Epist. part.* 2. *f. m.* 6.

Qui Deum unum & solum amat, eum 649
necessariò odit mundus: cujus amor inimicitia est contra Deum. *Iacob.* 4. *v.* 4. sed faciet certò Deus, ut mundus nos odio habens, nobis conducat. Omnia enim ad bonum juvant eum, qui amat Deum. *Rom.* 8. In manu Medici, etiam venena pharmaca fiunt, quid ni hoc posset Medicus ille supremus & omnipotens? cujus ictus sunt ut Balsamus. *Psalm.* 141. *v.* 15.

Qui Deum amat, hic non potest amare 650
Mundum. In eo namque haut esse amo-

rem Patris qui amat Mundum, D. Ioh. Apostolus pronuntiat. 1. *Ioh.* 2. Amicitia ergò hujus mundi, fornicatio eſt abs Deo. Per mundū intelligo, Mundi cupiditates, hoc eſt, humanas occupationes, ſplēdorem Mundi, illecebras carnis, ſpes ſubdolas atque vanas. Hæc ſine indignatione (cōmiſeratione mixtâ) adſpicere nequit, qui Deum amat.

651 At verò contemptus ille in odium abit, cùm malitiam videmus vanitati junctam, eaque firmitudine ſtabilitum eſſe Diaboli Regnum, ut miraculum vel prodigium ſit; virum invenire bonum, *Eſai.* 8. Hinc pius ſe mundo, ejusque pompâ ſuperiorem reputat; & ibi ut peregrinus vivit, qui jus civitatis habet in cœlis.

652 Quia non amamus Deum ex naturâ, quæ lapſu depravata; ſed quia Deus nos priùs amavit. 1. *Epheſ.* 4. v. 19. Nihil ideò magis à Deo exorare debemus, quàm gratiam, quâ eum amare queamus. Amor hic primus eſt fidei effectus; anima eſt virtutum aliarum, regula actionum, compendium legis, ſuſtentaculum Martyrum, cœlorum ſcala, pax conſcientiarum.

653 Deus omnes ſuos amatores, efficit ſibi conformes. Vt nempè omnia intra ſeipſos poſſi-

possideant, in Patriâ suâ. Et hoc est Regnum Dei intra credentes.

Adamus vivere debuisset ex inspiratione, hoc est, secũdum spiritum, non secundũ carnẽ. Is ergo per esum vetiti ligni, ipsus factus est: hoc est, semet amare cœpit. Bolus hic, necesse est ut exspuatur, concoquetur, abnegetur, dejiciatur; odio habeatur & relinquatur: si modò in Regnum pervenire velit homo, quod amisit lapsu. 654

Miser est omnis animus, vinctus amicitiâ rerum mortalium, dilaniaturque, cùm eas amittit: & tunc sentit miseriam, quâ miser est & antequàm amittat eas. Beatus qui amat te Domine, & amicum in te, & inimicũ propter te. Solus nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. Te nemo amittit, nisi qui dimittit: & qui te dimittit, non aliò fugit, nisi à te placido ad iratum. 655

Amor divinus tum in nobis erit perfectus, cùm amabimus Deum in nobismetipsis: cùm Deum perfectè cognoscemus, cùm eum videbimus de facie ad faciem. Nunc videmus Deum per imaginem, & tũc erimus similes ipsi, nam illum videbimus, talem ut est. 1. *Ioh.* 3. 656

Omnia creata in continuo sunt motu: 657

quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul. Sed decedendo ac succedendo agunt omnia, universum cujus partes sunt. Ecce sic peragitur & sermo noster, per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat cùm sonuerit partes suas, ut succedat aliud. Omnia verò creata stabilia sunt in Deo: *ut docet Augustinus. 4. confess.* 11. Bonum quod amamus à Deo est; sed quantùm est ad illum, bonum est & suave. At amarum erit justè, quia injustè amatur, deserto illo, quicquid ab illo est. c. 12.

658 Si Deum maxumè amas, de Deo sæpissimè in colloquijs tuis familiaribus loquâre. Sed semper de Deo, tanquàm de Deo, loquere reverenter & devotè: non ostentans te, aut prædicatorem simulans; sed cum spiritu mansuetudinis, charitatis, & humilitatis: distillans mel suave Devotionis, & res Divinas guttatim; jam in aurem unius, jam in aurem alterius. Leniter & suaviter autem, officium hoc Angelicum est instituendum: non instar correctionis, sed inspirationis.

659 Charitas quæ sit perfecta, Christus nobis monstravit; qui ex Cœli atrijs in præsepe bestia-

bestiarum reponi non renuit. Examinate hic vosmetipsos, ô Magnates, an rectè ametis!

Pharisaicæ naturæ adhæret, odium, invidia, indignatio. Hunc autem affectum habent sapientes erga malos, quem medici erga ægrotos. Qui eos non odio, sed remedio student contrectare. 660

Ipsi improbi nequeunt inter se convenire, sed semetipsos exagitant: cùm non observent ordinem in ultimum finem. Erroris autem avia sunt infinita. 661

Qui Deum amare dicit, & odit fratrem, mendax est. 1. *Ioh.* 4. 20. Nam qui non amat fratrem quem videt, quomodò poterit amare Deum quem non videt? Quomodò præditus esse potest amore supernaturali, qui non habet naturalem. *Agnovit hoc Antonin Imp. f.* 176. 662

Charitas erga fideles, & omnes fratres, se explicat in duos ramos: (1.) In subventionem Charitativam (1. *Ioh.* 3. 17. Quicquid exspendimus perdimus, hoc solum lucramur quod ita donamus. *Luc.* 16. Quod verò reservamus nobis, perditionem infert. *Iacob* 5.) (2.) in pacem ac concordiam. Impossibile est Deum amare, & non imitari. At ille est Deus pacis. *Rom.* 16. In tranquillo 663

est Deus, nec in turbine vel vento apparuit Eliæ. Templum Dei ædificatur sine clamore, &c. 1. *Reg.* 6. Vita Christiani est reditus ex Ægypto, reversus ad patrem. Monitum semper nobis præ oculis sit, quod Iosephus fratribus dedit. *Genes.* 45. *v.* 24. ut in via non rixentur.

664 Ex inspiratione proveniente ex ore Divino, accepit Adam omnem sapientiam Divinam: & ita verbum, Lex, Regnumque Dei in illo erant. Per morsum omnia amisit, cœlestia bona, Ita tamen, ut ea manserint apud ipsum: quæ nihilominus peccato occæcatus, nec scire neq; invenire poterat.

665 Deus est in impijs; sed non ipsi in Deo: in cognitione, & gustu situm est Dei Regnum.

666 Triplex est amor. I. Dei qui non habet mensuram: cujus mensura est amare Deum sine mensurâ. II. Amor medius, rerum quas amare licet: quem amorem amor divinus, coercet, intra limites necessitatis, & exindè removet curiositatem. III. Amor illicitus semper: quem amor divinus extinguit in totum. Amor præsertim impudicus, qui animum mille cogitationibus importunis & bestialibus inquinat; interdum etiam ijs, quæ non incidunt in bruta, sed merè diabolicæ existunt.

Mun-

Mundus primus perijt diluvio. Mundus ultimus, propter libidines igne extinguetur: ut in excidio Sodomæ fuit præfiguratum. Ideoque citò exindè cum Lotho ſecede: id eſt, crimen hoc derelinque, deteſtare. 667

Stultum eſt pulchritudinem corporis amare; quæ non eſt niſi ſuperficialis color, qui tegit ea quæ ſine horrore adſpicere nequimus. Animæ pulchritudo eſt luſtrum adamantis, quod tranſit usque ad fundum. Oculus fidelis non in ſuperficie hæret, ſed plus ultrà vim ſuam porrigit: & ſæpè ſub pulchritudine corporali, diaboli imaginem recognoſcit. Et quòd animæ, non corporis pulchritudo ſit amanda, id ex eo apparet; quia amando corpus, nō ei ſimiles fieri quimus. Amantes animam viri pij, ad ejus exemplum nos poſſumus efformare. 668

Miles polit gladium, quo in duello bellové féliciter eſt uſus, ut occaſione ferente pari ſucceſſu inimicos eo proſternere poſſit. Et hoc ſerpens facit antiquus: muliere virum decepit; hanc etiam polit, ornat, ut denuò decipiat, & ad lapſum alliciat multos. Caveant fœminæ probæ, ne ſint in manu Diaboli tale inſtrumentum. 669

Magnus eſt fructus amoris Divini, quod omnia juvant ad bonum ei, qui amat Deum. 670

Deum. *Rom.* 8. Vnde tranquillitas animæ in omni fortunâ. Amor Mundanus turbas & sollicitudines procurat.

Res est sollicitiplena timoris amor.

671 Tranquillitas autem ex Divino amore, exindè provenit: quia qui Deum amat, is à Deo amabatur antequàm amaret Deum. 1. *Ioh.* 4. Cogitemus ergò, si Deus me amat, potest is & vult mihi benefacere, & scit quomodò mihi sit benefaciendum. Ex malis efficiet bona. Hoc facit, ut jugum Christi videatur dulce. Si propter amicam, amator etiam lubens oppetit mortem, quid nos facere debemus, amantes Deum?

672 Amans Deum, à caussis secundis ad Deũ omnium caussarum caussam efficientem oculos convertit; & indè amicam benignamque manum, etiam in afflictionibus agnoscit. Non respuimus pillulas amaras, si eas prudens porrigat medici manus: & eo modo consideremus afflictiones.

673 Principalis est effectus amoris Divini, ut ei obediamus, & voluntati ipsius conformemur. Qui me amat, servabit mea præcepta. *Ioh.* 14. Non amate verbis &c: 1. *Ioh.* 3. Qui Deum ore confitentur, & opere pernegant; similes sunt eis, qui eum percutientes dixerunt Benè sit tibi. *Esaj.* 6. Filij Eli de Deo

alios

alios instruebant, & tamen cum aliud facerent; de ijs dicit S.S. Scriptura; quòd Deum non cognoscebant. 1. Sam. 2. & 22. psalm. 33. Decet hymnus; sed in ore justorum. Psal. 50. De impijs; cur verba mea sumis in os. Dicimus passim nos timere Deum, & tamen in præsentiâ ejus facimus, quæ coram vilissimo homine perpetrare non audemus: cogitamus & mente effingimus coram Deo cordium scrutatore, quæ nollemus alios scire.

Amor non est sine Zelo. Et ita qui Deum 674.
verè amat: gaudet si gloriam Dei promoveri; indignatur si eam obscurari videt. Signum hujus Zeli esse potest, si videamus Deum blasphemari, & nos injuriâ affici, ac priùs nos magis vexat. Si audimus nos causâ aliquâ cecidisse in foro, & fratrem Deo renuntiasse, &c. Leprosi sumus in spiritualibus rebus: ulceribus scatemus: & podagrâ in omnibus corporis partibus laboramus carnalium respectu. In illis perdidimus sensum; in his ita cum habemus acutum, ut exclamemus ac doleamus antequàm tangamur.

Diligens unitur cum delecto, essentiali- 675.
ter: undè inhabitatio Dei in renatis.

Amor

676 Amor requirit familiaritatem, & socialẽ communicationem; magis quàm mutua beneficia. Amicitia requirit, ut amicus ab amico vel consilium petat & auxilium, vel consolationẽ. Quantò magis frequens hæc conversatio, cum Deo est instituenda. Si de vocatione vel alia re acceptāda nobis est cōsultandum; primò Deus interrogetur. Prudentia humana, sit ut modestus servus, qui respondet quandò interrogatur: non loquitur nisi provocatus. Esaias consiliariū vocat Ihesum Christum: c. 9. non solùm quòd is nobis manifestum fecit consilium Dei: sed & quia nobis debet esse consultor in deliberationibus atque consiliis nostris.

677 Etiam afflictiones nostræ Deo sunt cōmunicandæ; non quod is nesciat eas, sed ut illa communicatio nos exoneret, cùm earum partem maximam imposuerimus Deo. pariter ut Multi sunt, qui se sublevatos putant, si de miseriis suis certiores reddiderint amicos. Totum Psalterium repræsentat anatomiam cogitationum hominis fidelis & pij, pictura est variæ internæ agitationis. Plures inibi sunt Psalmi (6. 22. 51. &c.) qui initia habent angustiæ plena, non procul dissitæ à desperatione; quorum tamen Finis est lætus, & confidentiæ plenus. Eâ namque pro-

portione

portione quâ nos conjungimus Deo, ille nobis se jungit; & conjunctione suâ Fidem spemque confirmat. Desperationis & similium affectionum, nõ est alia causa, nisi defectus hujus communicationis: quòd nempè tristes sumus, & consolationes non quærimus apud Deum; sed vel apud nos, vel in mundo.

Anné proximos propter Deum, & ex intimo corde ames? cognoscere potes ex eo; si tibi proposueris melancholicos & morosos. Cogita an promptus sis ad malè de proximo loquendum, ijsque qui te oderunt. 678

Perpende quòd totus mundus, ne quidẽ unius animæ valorem adæquat: nihil enim habet universa hæc mundi machina, quod humanæ animæ dignè conferri queat. Exindè disce proximum amare, ejus salutem procurare, non impedire. 679

Infirmi maxumè sunt amandi, curandi, neq; etiam in morbis contagiosis deserendi. Potest est Deus ad dandam vitam nobis, & remedium infirmis. Et cùm semel nobis sit moriendum, quódnam mortis genus optabilius esse potest, quàm in eo officio mori, quo Christus voluit ut nos consumamus vitam? *v. Botero detti f. 97. b & adde Miræum in Eleg. Belgicis in Vitâ Francisci Titelman.* 680

Ne-

681 Nemo facile societatem omnium bonorum init cum afflictis: *Perez. f* 149.*n*.60: sed hoc facit Christianus; qui semper est contrarius Mundo.

682 Nihil magis desiderare debemus, quàm proximi salutem. Sicque Divus Nilus ab Othone 2. adactus, ad petendum quidpiam maxime pretiosum; Imperatoris tetigit pectus, & insimul respondit: nihil mihi poterit magis esse gratum, quàm ut studeas animam non perdere hic inclusam. *Botero. f* 140.

683 Videmus plenam Ecclesiam, & alius sic it, alius autem sic. Quærendus ergò amicus spiritualis, qui in bono studio sectandæ vitæ Christi, multa expertus, multa doctus nobis videtur. Cum quo conferamus æstus nostros; qui proferat quis sit aptus modus sic affecto, ad ambulandum in viâ Dei.

684 Arctior familiaritas non sine cautione est ineunda: quia unus contagiosus, plus nocet, quam multi puri prosunt. Præsertim in hoc seculo corrupto, quod est fex & colluvies præteritorum. Cum ijs amicitiam ineas, quibus sim lis esse velis.

685 In proprijs imbecillitatibus sumus cæci: mutuato ergò amici oculo utamur, eique nostrum commodatò præstemus. Qui ami-

citiæ

amicitiæ adimit reprehendendi libertatem, nil ei reliquum manet, quo ab adulatione discernatur. Si Deus vult, ut inimici nostri bovem in viam reducamus; multò magis hoc facere debemus animæ fratrum quæ errat.

Amicitia etiam afflictiones faciliores facit: nemo est qui in loco solitario spectris infesto, non cordatior fiet, si non sit solus. 686

Non ut ex aspectu cognoscere possumus equorum proprietates; ita & hominum inclinationes aperit visus. Et tamen amicum elige, qui innocens sit in actionibus, in verbis castus, in vestitu simplex, Zelo qui foveat caussam Dei, qui lucrum contemnat, & fugiat voluptates. 687

Ei qui benè amat, omne tempus sine fructu præter lapsum esse reputatur, quod in res alias quàm in amores suos insumit: ut est proverbium Hispanorum. Imitetur hoc Christi amator, & omnia quæ non redolent Deum, cum tædio & nauseâ faciat; in omnibus Deum quærat. 688

Temerarium est, ut cùm alter alterius Iudex non sit; judicando proximum, officium omnipotentis Dei quis assumat. Solus enim Deus scrutatur renes & corda. 689

Vndè

Vndè Apoſtolus ait.1.*Cor.* 4. Nolite judicare ante tempus, quoàd uſque Dominus veniat, qui illuminabit aſcondita tenebrarum. Omninò multa experiri opus eſt, antequàm certum aliquid ſtatuas de actionibus aliorum.

690 Multum otij lucratur, qui non quid proximus dicat, agat, aut cogitet: ſed tantùm quid ipſe agat, videt; curatque ut hoc fas ſit & juſtum.

691 Qui maledicentiam è Mundo tollit, maxumam peccatorum & iniquitatis partem tollit.

692 Ille qui audit detrahentem, & is qui detrahit, diaboli mancipium eſt: ſed alter auribus, alter linguâ. Il ne ſeroit nuls meſdiſans, s' il n' eſtoit des eſcoutans.

693 Cave de falſis criminibus & peccatis proximum accuſare; cave ſecreta revelare, aut manifeſta exaggerare, aut bona opera in malam partem interpretari; aut virtutem alicujus negare, aut malitiosè diſſimulare, aut diminuere verbis.

694 Cautiſſimi & peſſimi ſunt; qui detractionibus proteſtationes præfigunt.

695 Maximum Fæminis peccatum eſt, fovere ſemper impuros amores; licet nunquàm realiter illis frui velint.

Inter

— Inter delitias conservare velle castitatem; est ignem ligno extinguere conari. *Boterof* 132. 696

Nihil nisi ex puritate pulchrum; & puritas hominum, Castitas est. Nullus sine castitate Deum videbit, nullus impurus habitabit in sancto Tabernaculo ejus. Canes & impudici foris ejicientur. *Apocal.* 22. 697

Facilius est fugere, quàm sanari. 698

Impudicitia est, respicere, audire, loqui, odorari, tangere inhonesta; si animus immoretur & delectetur illis. Impudicitiæ & lasciviæ, variæ species sunt: quarum aliæ debilitant, aliæ vulnerant, aliæ animam occidunt omninò. Aliquandò enim in extasin rapta, & in conflictum cum tentationibus provocata, nec vitam spiritualem, nec motum ampliùs monstrat. At si velis explorare rei veritatem, manus cordi est admovenda, & videndum; utrum id & voluntas, adhùc motu spirituali moveatur: id est, an debito officio in denegando consensum, & non parendo tentationi, fungantur. 699

Merita & servitia hominibus præstita, sunt ac si quis ex Fortunæ ollâ hauriat chartam; vix millesima illarum præmij notā habet. 700

bet. Ita & paucissimi inter homines sunt grati. Contrarium evenit si Deo, intuituvé Dei alijs benefaciamus. *Perez. f.* 247. *num.* 104. *&c.*

701 Iustè accidit ut cæcus in foveam cadat, quam vitare vult, non credens conductori. Ita & nobis accidit, si providentiam voluntatemque divinam, humanis medijs eludere cupiamus.

702 Intrò respice: intùs est fons boni, semper scaturiens; siquidem semper fodias. *Antonin. Imp 7. d suâ Vitâ.*

703 Deus est intimior omni creaturæ, quàm quælibet sibimetipsi.

704 Deus est ubique; sed solùm in fundo, hoc est, in spiritu invenitur.

705 Non est potentia major, quàm quæ imperat Diabolo & carni.

706 In omnibus tuis negotijs, curam quidem & diligentiam adhibe, quantùm potes; sed non te afficias sollicitudine atque anxietate. *v Botero detti f* 125. Cura & diligentia conjungi possunt cum animi tranquillitate; non autem anxietas & sollicitudo. Ne opprimas te in labore tuo: omnis namque oppressio, rationem & judicium perturbat. Nam qui summâ sollicitudine afficiuntur, nunquàm multùm aut benè quid

quid expedire possunt. Quod innuit Salvator noster, cùm ait: Martha, Martha, sollicita es, & erga plurima turbaris. *Luc.* 10.

In omnibus negotijs tuis, columna tua 707
sit providentia Divina; per quam omnes actiones tuæ ad optimum finem perducentur: tu interim moderatè labora, ut cum illâ cooperéris.

Vocationi tuæ incumbe diligenter, ad 708
quam à Deo fueris vocatus. Ita tamen, ut te in eâ saltem repures ministrum atq; instrumentum Dei. Omnem ei attribuens laudem, si quid felici successu à te fuerit peractum, Ab eodem executionem exspectes: non interim manens otiosus, sed continuò ejus exercitio incumbens, per solam meramque charitatem erga proximum tuum. Nec cùm res Mundanas tractas, à Deo cor avertas; sed id jugiter in eo habeas fixum. Occupationem etiam illam, laboremque non ægrè feras; sciens omnem creaturam vanitati subjectam esse, & sub illâ gemere: 1. *Petr.* 2. & ita nos quoque cupere debemus dissolvi, & esse cum Christo. *Rom.* 7. Desiderio tamen longanimi, & patienti; libenter nos circa omnia occupantes, ad exemplum ejus qui cum nobis, & pro nostrâ instructione cum hominibus est conversatus.

709 Nemo securus esse debet in ista vitâ; quæ tota tentatio nominatur: Quis scit, utrum qui fieri potuit ex deteriore melior; non fiat etiam ex meliore deterior? Vna spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua!

710 Imitare tu infantes, qui unâ manu Patrem tenent, alterâ fraga aut mora ex vepribus legunt. Super omnia cave dimittere manum & protectionem Dei, quasi plus colligere vel operari velis. Nam si ille dimittat te, non progredi poteris, quin cadas in terram.

711 Vt magnus mundus, in se Deum Rectorem: sic Divinum animum, in se habet homo. Is omnia quæ mundus ferè, analogicè refert: cuncta quæ in Mundo sunt ipse includit. Ergò

—— Quid mirum noscere Mundum
si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis.

712 Quemadmodùm medicamina; sic alimenta sumpturi accedere debemus. V. *August.* 10. *confess. c.* 31.

713 Christi opera exteriora, initium habent à jejunio: quia primum bellum Christianorum est, contra Gulæ peccatum. Quam qui vincere non contendit, frustrà cũ alijs confligit. In

In ludijs, convivijs omnibusque honestis recreationibus, semper cogitare debemus; quam plurimæ animæ in summis angustijs, interim dum nos voluptatem percipimus moriantur; innumeræ legiones virorū & fœminarum, summos perferant labores; in lectis, hospitalibus, plateis: quibus non modo dolores, sed & inopia, atque miseria est gravis. An non compateris illis? An non cogitas te aliquando ploraturum, & illa eadem, vel etiam majora perpessurum? præsertim cùm Dominus dicat: Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis. 714

Non nisi per rationem homines sumus, & tamen vix rationabiliter vivimus: quia Amor proprius nos plerunque à rectâ ratione, ad injusta rationique contraria abducit. 715

Quisque sibi hostis maximus.

Mulierē ex costâ producere voluit Deus; 716
ad significandum, illam debere subesse & 717
regi à marito. Non enim ex cerebro fecit illam, ut Pallas esset.

Mulieribus suspectus sit, qui pulchritudinem & famam illarum laudat; sed inter 718
laudes uxoris maritum contemnit: is enim illam non solùm perdere tentat, sed jam perditam putat.

719 Pulchra permixtio Virginitatis & humilitatis; inquit alicubi D. Bernhardus. Innues, superbas & pomposas puellas, non esse; vel non libenter virgines esse.

720 Blanca Regina, Ludovici S. Galliarum Regis mater; hoc filio suo sæpiùs ingeminabat: potiùs mi Fili, te ante oculos meos oppetere, quàm unicum peccatum mortale committere velim videre: quod ipsum animæ sancti hujus filij insculptum mansit semper. Mater quædam pia, Filijs suis non semel scripsit: Sie sollen nicht mit sünden vnd üblem halten verursachen / daß sie im ewigen Leben erfahren müste / sie habe ein Heilenbrandt vnder jhrem Hertzen getragen.

721 Ille ex D. Pauli consilio, uxorem habet quasi non habens; qui taliter corporalibus voluptatibus cum illâ fruitur, ut in spiritualibus non impediatur.

722 Continentia nequaquàm sterilis est, sed fæcunda mater filiorum gaudiorum, de marito Deo. Non (semper) impossibilis ea est; sed plena gregibus bonorum exemplorum. Projice te in Deum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projice te, securus excipiet & sanabit te.

723 Quod vobis apponitur manducate, ait Chri-

Christus ad Discipulos : *Luc.* 10. Virtus maxuma est, illud quod offertur sine delectu comedere, & quidem eodem ordine quo apponitur ; sive tuo palato arrideat sive non.

Continua & moderata sobrietas, violentis jejunijs per diversa intervalla præstitis, excellentior est. 724

Omnes voluptates similes sunt fluvio dulci, qui tandem fit amaris ; cum omnis tendat ad mare. Spiritus Dei non habitat in porcis : in eos permissu Christi, diabolus intrat, qui domicilium suum unâ secum præcipitat in abyssum. 725

Boni secum portant Cœlum : Diabolus ejusque asseclæ pœnam infernalem. 726

Quilibet peccator semetipsum punit. 727

Summa perfectio, nec instructionem nec libros admittit. Mentè quippe renovatus, & conspiciens intellectam veritatem tuam, homine demonstratore non indiget, ut suũ genus imitetur : sed demonstrante te probat ipse, quæ sit voluntas tua. &c : Et spiritualis effectus judicat omnia. &c : *August.* 13. *confess.* 22. At nos interim lacte doctrinæ, quod ubera nobis suppeditãt Ecclesiæ vivamus, usque dum solidum cibum capiamus cum fructu.

quod nos cum Christo pati, peccatis mori, & in novam vitam resurgere debeamus. Et hoc est prædicare Christum crucifixum.

739 Iustitia Dei per Evangelium revelatur, ex fide in fidem, hoc est, ex fide quæ quotidiè accipit incrementum. Revelatur enim ira Dei super omnem impietatem. *Rom.*1. v.17.18.

740 Non est verus Dei cultus, nisi ut non cõformiter nos Mundo geramus; sed in spiritu transformemur. Id quod stultam Evãgelij prædicationem nominat D. Paulus. At vero caro nostra, mallet aliâ magis ubi gratâ ratione, in cœlum pervenire, ut ne privaretur delitijs suis; quàm ut ita in omnibus rebus sub spiritu frangeretur atque coërceretur. Hinc tam varij & falsi cultus Religiosi provenerunt. Conscientia enim & igniculi, qui in nobis latent, attestantur Deum esse; eundem colendum esse, Depravata verò nostra natura cultũ sibi fingit, suæ phantasiæ, & affectionibus correspondentem.

741 Qui coram Mundo, sanctitatis, sapientiæ nomine præ cæteris excellunt; ferè majori cum difficultate, nec ita citò perveniunt ad perfectionem.

742 Fides sola Christianorum est bonum. Omnia

Omnia alia cœlestia nobis sunt adempta, &c. *Perez. f.*109.

Bonis operibus non lucramur Regnum Cœlorum: sed malè agendo in causâ esse possumus ne illud adipiscamur, vel adeptum amittamus. 743

Malè agimus nos, qui quærimus tantùm principium & finem salutis: nec de intermedio solliciti sumus, Geistlicher Kauffman. *f.*176. *ad fin.* 744

Duos oculos homo spiritualis habet, Fidei & cognitionis. Illo utitur in hâc vitâ, alterum ad vitam æternam reservatum esse sciat. Non est hic oculus adhibendus, ille negligendus, per hysteron proteron. Vndè cæcitas spiritualis, dum oculo quo possumus, nolumus; & quo volumus, non possumus videre. Perdit Deus sapientiam sapientum, qui per cognitionem non per fidem Deum scire volunt; & illuminat insipientiã Idiotarum. *Esai.*29. Ratiocinatio & cognitio est ex naturâ, Fides Dei donum: ita dum parvulis se Deus revelat; ostendit quòd natura & sapientia humana non tribuat ea. 745

Vera sapientia est ita occulta, ut nemo eam inveniat, qui non se ipsum perdit. Multi illam quærunt, sed non per hanc viam: nec bono fine; sed gloriæ studio. Et dum 746

681 Nemo facile societatem omnium bonorum init cum afflictis: *Perez. f.* 149. *n.* 60. sed hoc facit Christianus; qui semper est contrarius Mundo.

682 Nihil magis desiderare debemus, quàm proximi salutem. Sicque Divus Nilus ab Othone 2. adactus, ad petendum quidpiam maxumè pretiosum; Imperatoris tetigit pectus, & insimul respondit: nihil mihi poterit magis esse gratum, quàm ut studeas animam non perdere hîc inclusam. *Botero. f.* 140.

683 Videmus plenam Ecclesiam, & alius sic it, alius autem sic. Quærendus ergò amicus spiritualis, qui in bono studio sectandæ vitæ Christi, multa expertus, multa doctus nobis videtur. Cum quo conferamus æstus nostros; qui proferat quis sit aptus modus sic affecto, ad ambulandum in viâ Dei.

684 Arctior familiaritas non sine cautione est ineunda: quia unus contagiosus, plus nocet, quam multi puri prosunt. Præsertim in hoc seculo corrupto, quod est fex & colluvies præteritorum. Cum ijs amicitiam ineas, quibus sim lis esse velis.

685 In proprijs imbecillitatibus sumus cæci: mutuato ergò amici oculo utamur, eique nostrum commodatò præstemus. Qui amicitiæ

amicitiæ adimit reprehendendi libertatem, nil ei reliquum manet, quo ab adulatione discernatur. Si Deus vult, ut inimici nostri bovem in viam reducamus; multò magis hoc facere debemus animæ fratrum quæ errat.

Amicitia etiam afflictiones faciliores facit: nemo est qui in loco solitario spectris infesto, non cordatior fiet, si non sit solus. 686

Non ut ex aspectu cognoscere possumus equorum proprietates; ita & hominum inclinationes aperit visus. Et tamen amicum elige, qui innocens sit in actionibus, in verbis castus, in vestitu simplex, Zelo qui foveat caussam Dei, qui lucrum contemnat, & fugiat voluptates. 687

Ei qui benè amat, omne tempus sine fructu præter lapsum esse reputatur, quod in res alias quàm in amores suos insumit: ut est proverbium Hispanorum. Imitetur hoc Christi amator, & omnia quæ non redolent Deum, cum tædio & nauseâ faciat; in omnibus Deum quærat. 688

Temerarium est, ut cùm alter alterius Iudex non sit; judicando proximum, officium omnipotentis Dei quis assumat. Solus enim Deus scrutatur renes & corda. 689

Vndè

Vndè Apostolus ait.1.*Cor.* 4. Nolite judicare ante tempus, quòad usque Dominus veniat, qui illuminabit ascondita tenebrarum. Omninò multa experiri opus est, antequàm certum aliquid statuas de actionibus aliorum.

690 Multum otij lucratur, qui non quid proximus dicat, agat, aut cogitet: sed tantùm quid ipse agat, videt; curatque ut hoc fas sit & justum.

691 Qui maledicentiam è Mundo tollit, maxumam peccatorum & iniquitatis partem tollit.

692 Ille qui audit detrahentem, & is qui detrahit, diaboli mancipium est: sed alter auribus, alter linguâ. Il ne seroit nuls mesdisans, s' il n' estoit des escoutans.

693 Cave de falsis criminibus & peccatis proximum accusare; cave secreta revelare, aut manifesta exaggerare, aut bona opera in malam partem interpretari; aut virtutem alicujus negare, aut malitiosè dissimulare, aut diminuere verbis.

694 Cautissimi & pessimi sunt; qui detractionibus protestationes præfigunt.

695 Maximum Fæminis peccatum est, fovere semper impuros amores; licet nunquàm realiter illis frui velint.

Inter

— Inter delitias conservare velle castitatem; est ignem ligno extinguere conari. *Botero f.* 132. 696

Nihil nisi ex puritate pulchrum; & puritas hominum, Castitas est. Nullus sine castitate Deum videbit, nullus impurus habitabit in sancto Tabernaculo ejus. Canes & impudici foris ejicientur. *Apocal.* 22. 697

Facilius est fugere, quàm sanari. 698

Impudicitia est, respicere, audire, loqui, odorari, tangere inhonesta; si animus immoretur & delectetur illis. Impudicitiæ & lasciviæ, variæ species sunt: quarum aliæ debilitant, aliæ vulnerant, aliæ animam occidunt omninò. Aliquandò enim in extasin rapta, & in conflictum cum tentationibus provocata, nec vitam spiritualem, nec motum ampliùs monstrat. At si velis explorare rei veritatem, manus cordi est admovenda, & videndum; utrum id & voluntas, adhùc motu spirituali moveatur: id est, an debito officio in denegando consensum, & non parendo tentationi, fungantur. 699

Merita & servitia hominibus præstita, sunt ac si quis ex Fortunæ ollâ hauriat chartam; vix millesima illarum præmij notã habet. 700

bet. Ita & pauciſſimi inter homines ſunt grati. Contrarium evenit ſi Deo, intuituvé Dei alijs benefaciamus. *Perez. f.* 247. *num.* 104. *&c.*

701 Iuſtè accidit ut cæcus in foveam cadat, quam vitare vult, non credens conductori. Ita & nobis accidit, ſi providentiam voluntatemque divinam, humanis medijs eludere cupiamus.

702 Intrò reſpice: intùs eſt fons boni, ſemper ſcaturiens; ſiquidem ſemper fodias. *Antonin. Imp* 7. *d ſuâ Vitâ.*

703 Deus eſt intimior omni creaturæ, quàm quælibet ſibimetipſi.

704 Deus eſt ubique; ſed ſolùm in fundo, hoc eſt, in ſpiritu invenitur.

705 Non eſt potentia major, quàm quæ imperat Diabolo & carni.

706 In omnibus tuis negotijs, curam quidem & diligentiam adhibe, quantùm potes; ſed non te afficias ſollicitudine atque anxietate. *v Botero detti f* 125. Cura & diligentia conjungi poſſunt cum animi tranquillitate; non autem anxietas & ſollicitudo. Ne opprimas te in labore tuo: omnis namque oppreſſio, rationem & judicium perturbat. Nam qui ſummâ ſollicitudine afficiuntur, nunquàm multùm aut benè quid

quid expedire possunt. Quod innuit Salvator noster, cùm ait: Martha, Martha, sollicita es, & erga plurima turbaris. *Luc.* 10.

In omnibus negotijs tuis, columna tua sit providentia Divina; per quam omnes actiones tuæ ad optimum finem perducentur: tu interim moderatè labora, ut cum illâ cooperéris. 707

Vocationi tuæ incumbe diligenter, ad quam à Deo fueris vocatus. Ita tamen, ut te in eâ saltem reputes ministrum atq; instrumentum Dei. Omnem ei attribuens laudem, si quid felici successu à te fuerit peractum, Ab eodem executionem exspectes: non interim manens otiosus, sed continuò ejus exercitio incumbens, per solam meramque charitatem erga proximum tuum. Nec cùm res Mundanas tractas, à Deo cor avertas; sed id jugiter in eo habeas fixum. Occupationem etiam illam, laboremque non ægrè feras; sciens omnem creaturam vanitati subjectam esse, & sub illâ gemere: 1. *Petr.* 2. & ita nos quoque cupere debemus dissolvi, & esse cum Christo. *Rom.* 7. Desiderio tamen longanimi, & patienti; libenter nos circa omnia occupantes, ad exemplum ejus qui cum nobis, & pro nostrâ instructione cum hominibus est conversatus. 708

709 Nemo securus esse debet in ista vitâ; quæ tota tentatio nominatur: Quis scit, utrum qui fieri potuit ex deteriore melior; non fiat etiam ex meliore deterior? Vna spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua!

710 Imitare tu infantes, qui unâ manu Patrem tenent, alterâ fraga aut mora ex vepribus legunt. Super omnia cave dimittere manum & protectionem Dei, quasi plus colligere vel operari velis. Nam si ille dimittat te, non progredi poteris, quin cadas in terram.

711 Vt magnus mundus, in se Deum Rectorem: sic Divinum animum, in se habet homo. Is omnia quæ mundus ferè, analogicè refert: cuncta quæ in Mundo sunt ipse includit. Ergò

—— Quid mirum noscere Mundum
si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis.

712 Quemadmodùm medicamina; sic alimenta sumpturi accedere debemus. V. *August.* 10. *confess.* c. 31.

713 Christi opera exteriora, initium habent à jejunio: quia primum bellum Christianorum est, contra Gulæ peccatum. Quam qui vincere non contendit, frustrà cū alijs confligit. In

In ludijs, convivijs omnibusque honestis 714
recreationibus, semper cogitare debemus; quam plurimæ animæ in summis angustijs, interim dum nos voluptatem percipimus moriantur; innumeræ legiones virorũ & fœminarum, summos perferant labores; in lectis, hospitalibus, plateis: quibus non modo dolores, sed & inopia, atque miseria est gravis. An non compateris illis? An non cogitas te aliquando ploraturum, & illa eadem, vel etiam majora perpessurum? præsertim cùm Dominus dicat: Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis.

Non nisi per rationem homines sumus, 715
& tamen vix rationabiliter vivimus: quia Amor proprius nos plerunque à rectâ ratione, ad injusta rationique contraria abducit.

Quisque sibi hostis maximus.

Mulierẽ ex costâ producere voluit Deus; 716
ad significandum, illam debere subesse & 717
regi à marito. Non enim ex cerebro fecit illam, ut Pallas esset.

Mulieribus suspectus sit, qui pulchritudinem & famam illarum laudat; sed inter 718
laudes uxoris maritum contemnit: is enim illam non solùm perdere tentat, sed jam perditam putat.

719 Pulchra permixtio Virginitatis & humilitatis; inquit alicubi D. Bernhardus. Innuens, superbas & pomposas puellas, non esse; vel non libenter virgines esse.

720 Blanca Regina, Ludovici S. Galliarum Regis mater; hoc filio suo sæpiùs ingeminabat: potiùs mi Fili, te ante oculos meos oppetere, quàm unicum peccatum mortale committere velim videre: quod ipsum animæ sancti hujus filij insculptum mansit semper. Mater quædam pia, Filijs suis non semel scripsit: Sie sollen nicht mit sünden vnd üblem halten verursachen / daß sie im ewigen Leben erfahren müste / sie habe ein Hellenbrandt vnder jhrem Hertzen getragen.

721 Ille ex D. Pauli consilio, uxorem habet quasi non habens; qui taliter corporalibus voluptatibus cum illâ fruitur, ut in spiritualibus non impediatur.

722 Continentia nequaquàm sterilis est, sed fæcunda mater filiorum gaudiorum, de marito Deo. Non (semper) impossibilis ea est; sed plena gregibus bonorum exemplorum. Projice te in Deum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projice te, securus excipiet & sanabit te.

723 Quod vobis apponitur manducate, ait Chri-

Christus ad Discipulos: *Luc.* 10. Virtus maxuma est, illud quod offertur sine delectu comedere, & quidem eodem ordine quo apponitur; sive tuo palato arrideat sive non.

Continua & moderata sobrietas, violentis jejunijs per diversa intervalla præstitis, excellentior est. 724

Omnes voluptates similes sunt fluvio dulci, qui tandem fit amaris; cum omnis tendat ad mare. Spiritus Dei non habitat in porcis: in eos permissu Christi, diabolus intrat, qui domicilium suum unà secum præcipitat in abyssum. 725

Boni secum portant Cœlum: Diabolus ejusque asseclæ pœnam infernalem. 726

Quilibet peccator semetipsum punit. 727

Summa perfectio, nec instructionem nec libros admittit. Mentè quippe renovatus, & conspiciens intellectam veritatem tuam, homine demonstratore non indiget, ut suū genus imitetur: sed demonstrante te probat ipse, quæ sit voluntas tua. &c: Et spiritualis effectus judicat omnia. &c: *August.* 13. *confess.* 22. At nos interim lacte doctrinæ, quod ubera nobis suppeditāt Ecclesiæ vivamus; usque dum solidum cibum capiamus cum fructu.

729 Certissimum hoc est indicium, quòd à Deo didiceritis; si id quod didiceritis, feceritis. Qui autem novit quidem, quid fieri debeat, non autem facit; is nondùm didicit à Deo secundum gratiam, sed secundum Legem: non secundum spiritum, sed secundum litteram.

730 Cùm membra nostra, quæ in terris sunt mortificamus; tunc conversationem nostram habemus in cœlis.

731 Renati peccare non possunt, id est, non queunt facere peccata, contra conscientiam in ijs perseverando: hoc namque si faciant, ad pristinam nativitatem corruptam denuò redeunt.

732 Non sufficit, in ore gerere Christum; necesse est ut totùm ex nobis in illum transponamur, per fidem. ut cum Paulo dicere queamus: non ego vivo, sed vivit in me Christus.

733 Constantia omninò requiritur in Devotione: subinde ergò ora; O Salvator animæ meæ, tu mortuus es, ad acquirendas resolutiones meas; præsta quæso, ut mori potiùs, quàm illas perdere velim.

734 Sancti Eremitæ, alijque rigidissimam vitam agentes, semper affirmare solebant; hoc quod alijs tantam admirationem com-

moveret,

moveret, facillimum esse, si quis in consuetudinem vertat.

Fides non amplectitur solùm fidei articulos in sanioris confessionibus obvios: sed & hoc firmiter sibi persuasum habet; Mundum ejusq; cupiditates, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, vitæq; superbiam, 1. *Ioh.* 2 nihil nisi Diaboli instrumenta esse, quibus Adamum olim, & hodiè omnes homines in laqueos suos adigere conatur. Credit Fides omnes sententias, seu axiomata spiritualia, quæ paradoxa, imò adoxa sunt carni, mundo. 735

Quemadmodùm exterior oculus, intellectui nostro repræsentat res exteriores; & pro delectationis proportione, quam conceptus illi in nobis operantur, vel rejicimus vel amplectimur illas: quod odium vel amorem vocitamus. Ita pariter Fidei oculus (hoc est, auditus) repræsentat nobis res spirituales, & prout illis delectamur, relinquimus vel persequimur easdem. 736

Simplices & parvuli credunt: quæ exercitati ex parte vident ipsi, & experiuntur. 737

Non solùm historia de Christo in concionibus est urgenda: sed caput cum membris est cōjungendū, & hominibus inculcandū, 738

quod nos cum Christo pati, peccatis mori, & in novam vitam resurgere debeamus. Et hoc est prædicare Christum crucifixum.

739 Iustitia Dei per Evangelium revelatur, ex fide in fidem, hoc est, ex fide quæ quotidiè accipit incrementum. Revelatur enim ira Dei super omnem impietatem. *Rom.*1. ℣.17.18.

740 Non est verus Dei cultus, nisi ut non cõformiter nos Mundo geramus; sed in spiritu transformemur. Id quod stultam Evãgelij prædicationem nominat D.Paulus. At vero caro nostra, mallet aliâ magis ubi gratâ ratione, in cœlum pervenire, ut ne privaretur delitijs suis; quàm ut ita in omnibus rebus sub spiritu frangeretur atque coërceretur. Hinc tam varij & falsi cultus Religiosi provenerunt. Conscientia enim & igniculi, qui in nobis latent, attestantur Deum esse; eundem colendum esse, Depravata verò nostra natura cultũ sibi fingit, suæ phantasiæ, & affectionibus correspondentem.

741 Qui coram Mundo, sanctitatis, sapientiæ nomine præ cæteris excellunt; ferè majori cum difficultate, nec ita citò perveniunt ad perfectionem.

742 Fides sola Christianorum est bonum.

Omnia

Omnia alia cœlestia nobis sunt adempta, &c. *Perez. f.*109.

Bonis operibus non lucramur Regnum Cœlorum: sed malè agendo in causâ esse possumus ne illud adipiscamur, vel adeptum amittamus. 743

Malè agimus nos, qui quærimus tantùm principium & finem salutis: nec de intermedio solliciti sumus, Geistlicher Kauffman. *f.*176. *ad fin.* 744

Duos oculos homo spiritualis habet, Fidei & cognitionis. Illo utitur in hâc vitâ, alterum ad vitam æternam reservatum esse sciat. Non est hic oculus adhibendus, ille negligendus, per hysteron proteron. Vndè cæcitas spiritualis, dum oculo quo possumus, nolumus; & quo volumus, non possumus videre. Perdit Deus sapientiam sapientum, qui per cognitionem non per fidem Deum scire volunt; & illuminat insipientiã Idiotarum. *Esai.*29. Ratiocinatio & cognitio est ex naturâ, Fides Dei donum: ita dum parvulis se Deus revelat; ostendit quòd natura & sapientia humana non tribuat ea. 745

Vera sapientia est ita occulta, ut nemo eam inveniat, qui non se ipsum perdit. Multi illam quærunt, sed non per hanc viam: nec bono fine; sed gloriæ studio. Et dum 746

alios vident, aliam insistere viam; stultos imò & hæreticos eos judicant, & scandalum capiunt. Non enim possunt divinum lumen in alijs videre, quod ipsi desiderant, & non habent. Cæci, cæcorum ductores.

747 Cor hominis novi, intelligit & agit ex scientiâ Dei; omnia dirigit ad Dei Laudem. Et hæc omnia, novo quodam magisque sublimi modo, quàm à Naturali homine fieri potest. Exindè est pugna pharisæorum & Christi, controversia inter scribas & à Deo doctos: hoc est, inter eos qui litteram saltem norunt, nec eam Spiritus S. gratiâ in succum & sanguinem animi nostri converterunt. Exindè etiam conflictus provenit, qui est inter spiritum & carnem.

748 Fidem veram, necessariò sequuntur omnes aliæ virtutes: statim enim speramus in eum, cui credimus; eum amabimus, in quem speramus.

749 Qui de Christo ejusque imitatione parùm sollicitus est, sed solùm ab extrà historiam de Christo, ejusque naturâ & Majestate novit; parùm à Diabolo distat, imò ab eodem superatur: similemque cum eo, cognitionis hujus accipiet mercedem.

Summa

Summa perfectæ, Deoque placentis fidei est; mors veteris, & nativitas hominis novi. 751

Deo assimilari quoad potest, finis est fidei. 752

Fidem subsequitur humilitas, patientia, & abdicatio sapientiæ mundanæ. 753

Anima naturâ non aliud est quam spiritus; sed quatenùs vivificat corpus. 754

Si dubitas, an in hoc vel illo consistat beatitudo; an hoc vel illud officium sit boni viri: considera an id etiam commune sit ei, qui Deum esse negat, qui patriam deserit; qui simul ac fores sunt clausæ, nihil non turpe perpetrat. Si igitur multa sunt omnibus communia; reliquum sanè ut aliquid sit necesse est, quod proprium sit viri boni. Nempè æquo animo ferre ea quæ accidunt, non turbâ visorum commoveri. Etsi nemo hominum credat eum simpliciter, verecundè, ac tranquillo animo vivere; tamen neque succensebit cuiquàm. 755

Omnia, æquè parva ac magna, secundum vitam Christi sunt dijudicanda. 756

Ad Mundum pedibus subjiciendum, complura suppetunt media, quæ Deus illis qui magno animo sunt præditi, manifestat. 757

758 Solus ille persentiscit jugum & præcepta Christi, non egere calumniosâ interpretatione, sed in simplicitate, & pro ut jacent, intelligenda esse; qui Mundum verè contemnit atque derelinquit, & quæ habet omnia audacter projicit retrò, exindeque trahitur in cœlorum regnum.

759 Omninò si superiora & inferiora animo repetas, invenies omnia eadem esse: quorum plenæ sunt priscæ, mediæ, recentesque historiæ, & urbes & domus. Nihil novum est, omnia usitata, & brevi durantia tempore. Vbique nil nisi inane pompæ studiũ; fabulæ scenicæ, formicarum labores, murum perterritorum discursus, simulachra nervis tracta, ut se moveant.

760 Vanitas mundana, humanæque vitę miseria, non cum morositate & anxiâ quâdam sollicitudine, est meditanda; sed ut nos pręparemus ad ejus derelictionem.

761 Nullus ritè adspirat ad futuram vitam, qui non præsentem contemnit. Nemo præsentem satis spernit, qui non eam benè cognoscit. Sed contra ordinem naturæ nemo rectè cognoscit mundana, nisi à longinquo: ab illis subtrahendo cor, & affectionem reddendo remotiorem. Bona namque mun-

mundana, ſi prope nos ſint judicium turbant, oculoſque faciunt cæcutire.

Si providentiam Divinamque rerum hu- 762
manarum gubernationem reſpiciamus; nihil aliud nobis ubique occurrere poteſt, quàm quòd Magnatum is rideat conatus, Imperia evertat: & in ſummâ; dum adhuc hodiè Babylonicæ turris ædificatores turbat, diſſipat, nihil aliud nos docet; quàm hominem pulverem, prudentiam ejus occæcationem, & omnia mundana confuſiſſimam confuſionem eſſe. Dicamus ergò cum Davide *Pſalm.* 92. Beatus homo quem tu erudieris Domine, &c. ſed notandus eſt titulus illius Pſalmi, Canticum pro Sabbatho. Quo nempè admonemur, meditationem hanc requirere ſpiritum tranquillum, & qui ſe ex turbâ humanarum actionum, repoſuerit in domo Dei. Sic *pſalm.* 73. confitetur David: Impiorum proſperitatem ſe non digerere potuiſſe, antequàm in Sanctuarium intraverit Divinum, &c. Ibi enim (non in ſcholis politicorum, vel ex vulgi opinione) edocemur; quæ differentia ſit inter ea bona, quæ ſparſim hominibus largitur Deus; & quæ infantibus ſuis reſervavit. Ibi diſcimus, quomodò Sathanas triumphet de ijs, qui in hoc mundo triumphant.

Quomodo ij, qui se firmos putant, in præcipitio consistant.

763 Nemo felix est, qui non in omnibus fugit mundi vulgique opinionem. ut canit Petrarcha:

—— Mentre al Vulgo dietro vai,
Et à l' opinion sua cieca è dura,
Esser felice non puo tuo giamai.

764 Si Diabolus est Princeps hujus mundi: Mundus hic Diaboli erit Regnum. De stultitiâ eorum qui rebus mundanis delectantur: vid. omninò Petrarch. *Triumpho de là divinità.*

765 Argumentum Ecclesiastis est: docere vitam Epicuræam, non peiorem esse Pharisaicâ, & æquè Deo exosam. Minùs verò difficilem & magis secundum naturam. Omnia quæ coram mundo magna vel proba, vanitatem esse. Et hæc de rebus humanis Salomon pronuntiavit; dives sine pari, pace fruens sine turbis, gloriâ sine invidiâ pollens, à subditis cultus, à vicinis & item longè dissitis admiratus; cui Imperium 40. annorum otium & opportunitatem est largitum, ad lubitum & ad videntium stuporem ædificandi; qui per omnia arcana naturæ transiens, ad finem tamen dixit: omnia

mnia vanitatem esse, spiritusque afflictionem. Idem quod Salomon in Ecclesiaste, hoc D. Augustinus. 6. *Confess.c* 6. docet : ubi mendicum securè lætantem & ebrium comparat, & præponit sibi adhuc gloriæ cupido atque ambitioso.

Homo non est arbor inversa sed erecta : 766
habet radicem, id est, caput, in cœlo. *Perez. f.* 59. *n.* 77.

Figura mundi rotunda, quæ instabilis ; 767
& sic omnia mundana. *Perez. fol.* 47. *numer.* 8.

Vt Deum amemus, necesse est, ut Mun- 768
dum contemnamus. Vt Mundum contemnamus, necesse est, ut fidelis propriam recognoscat dignitatem nobilitatemque & excellentiam suæ vocationis. Nihil nos magis à Deo alienat, ejusq; amore nos privat, ac Mundi amor. Etenim S.S. Scriptura, mundum appellat Diaboli regnum. *Iohan.* 16. ℣. 11. Tanta nostra nobilitas est, ut quamvis illecebræ & promissiones hujus mundi certæ essent : non tamen dignæ forent, ut ijs occuparemur. Indignus est Ihesu Christo, qui non se putat mundo meliorem. Nam & cœlum destruet Deus, novum mundum facturus, ut dignum sit hospitium electorum.

Qui

Qui de magno altoque monte, circumjacentes dispicit regiones; Palatia arcesq; magnorum Regum, parva Pastorum Tuguria ipsi videbuntur: homines proceri, pusiones, &c: Quantò magis hæc omnia exigua reputabuntur, si quis respiciat è cœlo. At exindè res humanas dispicere & contemplari debemus. Illîc thesaurus noster, ibi cor nostrũ esse debet. Ex eo loco si terrestria inspiciamus; vrbes videbuntur formicarum habitationes; turbæ & bella, muscarum circumvolitationes.

769 Mundus, infernus est Dæmonum incarnatorum. Ideoque electi tanquàm purgamenta hujus mundi fuerunt semper. 1. *Corinth*.4.

770 Alter mundus est in hoc ipso, divisus in tenebras & quietem.

771 Sapiens conscientiam, non famam attendit.

772 Sapientia mundana, magis est vanitas negotiosa, quàm sapientia vera.

773 Quemadmodùm artis perspectivæ beneficio, certæ aliquot lineæ ita secundum proportionem, tantoque cum artificio ducuntur, ut arbitreris ibidem esse formosissimas species: cùm in veritate nihil aliud ibi sit, quam lineæ simplices & nudæ. Sic Sathan,

than, cùm honor mundanus, res sit tam inanis & vana: ille tamen eum ita formosum pingere, & ornare novit; ut appetitu illius impulsi, corpus & animam abjiciamus.

Sancta hæc gloria, non impedit humilitatem: nam agnoscentes nostram indignitatem in nobismetipsis, invenimus nostrã dignitatem in Christo. Si pœnitentia nos humiliat, fides elevat. Si non sumus aliquid coram Deo, sumus magni in Deo. 774

Non solùm contemnendus, sed & odio habendus est mundus: cùm non solùm vanitatem, sed & malitiam ejus consideramus. 775

Facilè contemnit omnia, qui se moriturum esse semper cogitat; sitientique cordis palato ad æterna suspirat. 776

Assiduò considerandum est, quomodò omnia hæc sint, qualia fuerint, ac sint futura: & ante oculos ponendæ, totæ fabulæ, atque scenæ earundem in speciem rerum, quas vel experientiâ vidisti, vel ex antiquâ historiâ cognovisti. Aliàs si particulatim res consideramus, eorum vanitas latet. Idque in usum totius vitæ est transferendum. 777

Vanitas mundi cùm primis in eo quoq; consistit: quòd nobis præstruũtur ærumnosæ viæ, 778

ſæ viæ, per quas tranſire cogimur, multiplicato labore & dolore, filijs Adam. Rectè vivere pueris id proponitur, obtemperare monentibus; ut in hoc ſeculo floreant, & excellăt linguoſis artibus, ad honorem hominum & falſas divitias famulantibus. Majorum nugæ negotia vocantur: Puerorum autem talia cùm ſint, puniuntur à majoribus. *v. Auguſt* 1. *confeſſ.* 9. & *v. c.* 12. ubi ait, quod qui ad litteras eum cogebant, non ei benè faciebant; ſed benè ipſi fiebat à Deo.

779 Vanitatem Mundi, omnium ſeculorum hiſtoriæ demonſtrant: cùm ambitioſa conſilia, Imperiorum caſus, ortus, &c: conſideramus. Vnde rectè Tacitus ait: Mihi quantò plura recentium & veterum revolvo; tantò magis ludibria rerum mortalium, cunctis in negotijs obverſantur.

780 Symboli loco; illud de Mundo uſurpare ſolitus fuit Abrahamus Ortelius: Contemno & orno; mente, manu. *Miraus in Elog.* Et hoc idem nos faciamus; mundum contemnamus, in utilitatem mundi proni; laborioſi, non otioſi.

781 Fideles vocantur ſal terræ, quia eorum exigua eſt portio, quemadmodùm ſal reſpectu terræ: & quia à corruptione totaliq; deſtructione conſervant Mundum.

Mun-

Mundus cōſtat ex Epicuræis & Phariſæis: 782
ſed Chriſtum rident illi, hi perſequūtur eundem: & ita magis nocent Eccleſiæ veræ. Herodes riſit Chriſtum, ſacerdotes coëgerunt Pilatum, ut eum affigeret cruci.

Apocalypſeos *c.* 12. Eccleſia ſub pedibus 783
habet Lunam: id eſt, mutabilem inſtabilitatem rerum inferiorum.

Quòd ſæpè indigni imperârunt, malè 784
parta imperia ad poſteros perveniunt; hoc documentum eſt, non tanti apud Deum eſſe imperare, ut nonnulli putant.

Qui fluctus mutationum & motuum 785
(in vitâ humanâ) conſiderabit, earumque celeritatem; is omnia mortalia facilè contemnet.

Lumen gratiæ, ſemper confert hæc tem- 786
poralia ad æternitatem.

Naturâ verò homo eſt miſer, præ omni- 787
bus alijs animalibus. Etiam nobiliſſimorū honeſtiſſimorumq; nativitas eſt impura, locus & actus modusq; conceptionis & nativitatis occulitur ſtudioſè, nec ſine rubore nominatur. Interim occidere hominē in duello, Marteq; aperto, laudi reputatur. Laborioſa eſt & miſerabilis educatio illius; ille ſolus indiget veſtitu, & occultatur ſpolijs animalium qui dominus eſt eorū. Ipſe ſolus febres,

febres, catharros, aliaque morbi genera patitur, quibus bestiæ carent. Solus utitur ratione. sed ut eâ tormenta, afflictiones, vanas cogitationes, inanes subtilitates, litium captiunculas excogitare possit. Dolores sentimus, sanitatem vix animadvertimus: & sanitas non est voluptas sensibilis. Fellis gutta plus nos torquere potest, quàm modius dulcissimæ sanitatis recreare.

788 In perversitate nostrorum Liberorum, imaginem conspicimus nostræ corruptionis. In vix bimulo infante, omnium vitiorum conspicimus germen & sementem. Vnum ferè medium, quo iram placamus & indignationem infantum, est vindicta; si verberemus eorum in conspectu illos, à quibus putantur esse læsi. Si ipsis non in omnibus indulgemus, & ea quibus aliàs delectantur, corrumpunt atque perturbant.

789 Omnium rerum fidem, veritatemque, mixtis confusisque signis veri atque falsi inprensibilem videri, Pyrrhomici ajunt. *A. gell.* 11. c. 5. Et talis est natura hominis non illuminati; qui opinionibus exagitatur, nec apprehendit veritatem, & veritatem tantùm ut opinionem habet.

790 Prudentiæ humanæ vilitas tum demum cognoscitur, cùm eam conferamus, cum sa-

pientiâ

pientiâ Divinâ. Considera quantò virtus scientiam exsuperet. Prætereà, habeat mundi sapientia omnem, quæ desiderari possit excellentiam: non potest tamen hanc unã miseriam effugere; ut non pereat cum vitâ. Quid igitur miserabiliùs, quàm tot impensis & sudoribus acquirere, quod tam citò sit periturum. Ideò multò utiliùs fuerit exercere se in amore Divino, cujus fructus semper durant. Denique in die judicij non interrogabimur quid legerimus: sed quid fecerimus: nec quàm politicè locuti fuerimus; sed quàm benè vixerimus.

Prudentia humana similis est industriæ 791
Talparum. Effodiunt illæ & ædificant sub terrâ, non sine aliquâ dexteritate. Sed cæcutiunt ad Solem. Ita filij hujus mundi, terrestri quâdam prudentiâ eminent; sed ad Evangelij claritatem animi visum perdunt.

Perversa est prudentia humana. Interi- 792
tum prævidet & ruinam Imperij, de eoque ratiocinatur quotidiè: & tamen ita vivit, ita sibi suisque privatis rebus studet, ac si Status eversio non sit etiam ipsammet eversura. Mali, silentio astuto, simulationibusque callidis sese occulere student: pariter ut infantes cum oculos tegunt, se à nemine videri

deri putant. Et ita stultitia, filiorum tenebrarum, contestatur contra sapientiã Patris luminum: Prudentia humana contra providentiam Dei. ℣. *psalm.* 94. Ibi David stultos appellat, qui sunt astuti. Sane pessima, & maxumè periculosa stultitia est, quæ sub pallio prudentiæ occultatur.

793 Post lapsum crevit lumen naturale, ipsâ necessitate illud acuente. In Paradiso enim, non opus habuisset Adam artibus, artificijs, & politicâ prudentiâ modernorum.

794 Meditatio & exercitatio pio homine dignissima est, de actionibus, cogitationibus, laboreq; inutili ac vano hujus vitæ instituta. In nundinis vel sunt spectatores, vel emptores. In mundo sumus non ut aliquid cõparemus: sed ut spectantes pompam & fastum, quæ curiosa vanitas videnda tractandaq; exponit, Deo gratias quàm maxumas agamus, quòd sine illis rebus vivere Deoq; placere quimus. Si interim dum hæc contẽplamur, pellimur vel etiam marsupio privamur: hoc est, afflictionibus inquietamur. Eò magis adspirare debemus ad pretium supernæ vocationis. *Philip.* 3. ℣. 14.

795 Mirabiliter Deus suos vocat & ducit. Nonnulli Deum quærunt, alij à Deo quæruntur.

Diffe-

Differentiæ ſunt donorum, ſed ſpiritus eſt unus. 1. *Cor* 12. Ita & variæ differentesque ſunt Divinæ viſitationes, in converſione peccatoris, reſuſcitationeque à morte peccatorum. Nunc manè, nunc ſerò, nunc in ipſâ mediâ noctè, fieri ea ſolet. Quod eſt Parabola docet. *Matth* 20. Ita & cū Tentationibus eſt comparatū. Harum non nulli graviores experiuntur, ab initio converſionis; alij ad finē: ſunt & qui anxietatibus per totā vitam divexantur; quidam leviuſculè ijsdem affliguntur. Prout Divina ſapientia conveniens eſſe prævidet. 796

Perpetua eſt conſuetudo Dei, ut quandò eligit quempiam ad hoc vel illud officium, ut ei largiatur etiam copiosè omnia, quę ad id exequendum requiruntur. Ergò vocatus nemo diffidat; nō vocatus nemo currat: niſi cum Micha. *c*. 3. dicere queat; Repletus ſum fortitudine Spiritus Domini, judicio & virtute. Hoc qui negligit examen, ſæpè aſcendit, ſed nihil proficit, niſi ut ſemetipſum perdat; altiusque ſe dejiciat, quàm aſcendit. Hoc notare debent, qui in Aulis, vel Republicâ verſantur. Pius, quisnam vocatus ſit, hoc critirio cognoſcet. 797

Non eſt in commotione Dominus; non in igne Dominus: ſibilus auræ tenuis. Ita & Chri- 798

& Christiana tranquillitas non in multitudine negotiorum etiam piorum, non in sollicitudine, ut Martha, &c. vim suam exerit. Etiam in Politicis scire debemus, Mundum ab eodem verbo gubernari à quo fuit creatus: hoc qui credit, omnem gentilem sollicitudinem seponit.

799 Cui facies Dei in fide lucet, is est in Coelis, quamvis vel acuto insideret palo. A quo faciem suam avertit Deus, satis experitur quid sit infernus, etiamsi tenellis incumberet plumis.

800 Tres sunt hominis partes (spiritus) mens; quæ contemplatur Deum supra se, & Angelos juxta se (Anima) ratio; quæ inspicit se ipsam (Caro) sensus; quibus intuemur Mundum.

801 Anima hominis à sensilibus separata, est Angelus.

802 Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. Sin autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum existet: ait Salvator noster. *Matth. 6. v. 22.* Oculus seu judicium integrum, talem unamquamque rem æstimat, qualis est, singulisque suum pretium reddit. Inversus autem

autem oculus, perversas habet formas & cogitationes; quibus immundi vilia sectantur, tanquàm pretiosa.

Sicubi res videtur quàm maxumè comprobatu digna, tegumentis est nudanda; ut & ejus in conspectum veniat vilitas, & id quo se ostentabat, ei adimatur. Etenim fucus, impostor est callidissimus; ac tum maxumè in fraudem inducit, cùm quis maxumè se res serias & dignas tractare putat. 803

Boni semper in tranquillitate vivunt; quod cùm visu non possimus dijudicare: dijudicemus spiritu. 804

Oculus simplex, oculus spiritus, intelligentiæque puræ, obfuscatur affectibus cordis; quibus si indulget, non videt aliud, non ultrà sese extendit, quàm ad res per illam affectionem nobis repræsentatas. Velum hoc impedit, quò minus radios Solis justitiæ recipere queamus. Hinc infelicitatem judicamus, calamitatesque reputamus, his affectibus & passionibus nostris quod repugnat. Bellum detestamur, quia nobis adimit Fortunæ bona; pestem, quia vanitatibus hujus vitæ nos privat; Famem, quia delitias adimit & voluptates. Id quod nos pro benedictione divinâ habemus, sæpiùs est flagellum iræ atq; indignationis: quod afflictio- 805

nes æstimamus, medicina est spiritualis, animæ sanitati admodùm salutaris. Hinc Deum Tyrannum & crudelem autumamus, cùm maxumè est benignus: hinc non rarò fugimus & detestamur remedia, quibus maxumè indigemus; cùm ea nobis amara videantur. Sola infelicitas consistit in morte spiritus, & quæ hanc præcedit cæcitate spirituali.

806 Duplex est animæ oculus: Spiritus seu mentis illuminatæ; & Rationis, quo Adamus usus fuit, cùm deciperetur. Et sanè oculus hic, semper decipitur, si non à superiori illo gubernetur.

807 Ex Philosophiâ quoque Ethnicâ fructus capere potest Christianus. ut eleg. probat Theodoret. *adversus Gentes, mihi. f* 20.

808 Oculus spiritus intelligit, quòd extra Christum nihil sit quærendum; sed cætera omnia nobis adjicientur: quòd in illo omnia inveniamus. Ille per mortem suam destruxit mortem: ita ut nostra vita, quam ita diligimus, ipsa sit mors, & mors quâm abhorremus, initium sit vitæ. Et quod vita quâ vivimus corporali; nihil debeat esse nisi corporis mortificatio, quod moriendo quotidie, deponere debemus; ut id aliquando spirituale recipiamus. Sed eheu! nos quotidiè

quotidiè spiritum extinguimus,& eum terrestrem atque carnalem facimus; corpori eum affigendo,ut cum eo pereat simul.

Omnia versantur in opnione. Ejice opinionem & sapiens es. 809

Sine illuminatione,vel sublimiori aliquo principio,quale est Scriptura S.S.nec in naturalibus ratio humana certitudinem habet. Id testatur Porphyrius apud Theodoret.*ad Græcos infidel.serm.*1. Qui ait:omniũ eorum,qui in philosophiâ versantur, ambiguam ac disceptabilem sermonem esse. Omnia Græcorum Philosophorum,ex conjecturâ potiùs dicta esse. Apud nos, inquit, magna quidem quædam verborum est disceptatio;utpotè qui in boni conjecturã, ex humanis rationibus ducamur.Quibus verò machinis quod melius est, assequamur, semper nobis indagandum dimittitur.Quò respicit Socrates apud eundem Theodoretum.*serm* 2.*f.*23. cum ait. Ex hâc naturæ inspectione, ita cæcus effectus sum; ut & ea mihi exciderint, quæ priùs scire me opinabar. 810

Sex hominum status esse videntur. Impiorum,servorum, Mercenariorum, Filiorum Dei, Adulescentum, seniorum. Impius impœnitens est. Si pœnitentia adest 811

metu gehennæ, servus est: si spes Regni cœlestis, mercenarius, Ille à malo divertit formidine pœnæ, non odio mali: Hic virtutem exercet non amore boni, sed caussá mercedis. Tam servus quàm mercenarius, amore erga Deum vacui sunt: citra quem amorem nec Deum nancisci, nec eo frui quimus. Filius plùs Patrem diligit quàm ipsius dona. Sanctus tribus ætatibus distinguitur. Puer jam bonam quidem voluntatem habet; sed imbecillam: in eo prava consuetudo adhuc valentior est. Adolescentes sunt qui malum devicerunt. *1. Ioh* 2. v. 14. Qui si porrò hîc longiorem ducat vitam, ad virum perfectum, & ad plenè absolutam ætatem Christi provehitur; ac demùm inter seniores censetur; qui illum cognoverunt, qui fuit ab initio. *Ephes* 4. v. 13.

812 Incipientium status est; cum rapimur ad Deum, decore ipsius, moxque diripimur ab eo pondere nostro; pondus hoc est consuetudo carnalis. Sed nobiscum est memoria ipsius, neque ullo modo dubitamus cui cohæreamus; sed nondum esse nos qui cohæreamus: quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. Cùm invisibilia Dei conspicimus, sed aciem figere non

re non valemus: & repercussâ infirmitate, solitis reddimur; & non nobiscum ferimus, nisi amantem memoriam; & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere non valemus.

Non certiores de te, sed stabiliores esse cupimus. Placet via ipse Salvator, & ire per ejus angustias adhùc piget. Displicet nobis quod agimus in seculo, & oneri nobis est valdè non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris & pecuniæ, ad tolerandam [illegible] tam gravem. De nostrâ temporali vitâ muta[illegible] & mundandum adhûc est cor à veteri [illegible]mento. 813

Incipientes invenerunt bonam margaritam, quæ venditis omnibus bonis emenda est; sed dubitant. Vide luctam spiritus & carnis, in relinquendo seculum, despiciendo mundum, & superando carnem, eleganter descriptam apud Augustin. 8. *Confess.* c. 5. 814

Proficientes, vulnera sua, subindè à Deo sanari, magis quàm ipsis non infligi à carne & Diabolo, sentiunt. In hoc statu erat D. Augustinus. Cùm 10. *confess.* c. 40. scribit: Aliquandò intromitis me in affectum multum inusitatum introrsùs, ad nescio quam 815

dulcedinem. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus.

816 Lex peccati, est violentia consuetudinis (maxumè conversioni; & abnegationi mūdi resistens) quâ trahitur, & tenetur etiam invitus animus: eo merito, quo in eam volens illabitur. Sed dum consuetudini non resistitur, fit ea necessitas.

817 Non solùm ire, verum etiam pervenire ad Deum, nihil est aliter quàm velle ire: sed velle fortiter & integrè. *August. 8. confess.* 8. Sed hic ipsa ratio [illegible] ani- [illegible] vult. *v. August. c. 9.* mus vult [illegible] tum est lucta spiritus, & carnis, quam itidem describit August. *c.* 11.

818 In perpetuâ lucta est Christianus, carnis & spiritus pugna nunquàm cessare debet. Et item vicissitudo est in Christiano; ut nunc ferè sit in statu perfectionis, nunc in incipientium gradu, mox infra eum. *v.* **Staupitz/von der Liebe Gottes.** Cum inhæsero tibi ex omni me, omninò nusquàm erit mihi dolor & labor. Nunc quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ, cum lætandis mœroribus: contendunt mœrores mei mali, cum gaudijs bonis; & ex quâ parte stet victoria nescio. Nunquid non tentatio est

vita

vita humana, super terram, sine ullo interstitio? Et tota spes mea, non nisi in magnâ misericordiâ tuâ, Domine Deus! Ecce vulnera mea non abscondo! Medicus es, æger sum. Misericors es, miser sum. *August*.10. *confess*.28. *& seq*.

Quo plùs in nobis fidei existit, eò major est pugna spiritualis. Quomodò enim impij pugnarent; cùm princeps hujus mundi, ipsorum sit amicus. 819

Cum tædio fert pius, defectus quos reliquos habet caro. Vnde D. Augustinus: Nunquid non potens est manus tua Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratiâ tuâ, lascivos motus etiam mei soporis extinguere? Augebis Domine, magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te, concupiscentiæ visco expedita. 10. *confess*. *c*.30. 820

Totius perfectionis nostræ summa est, perfecta resignatio in Dei manus. Vltimum enim verbum Christi-Dei, fuit: in manus tuas commendo spiritum meum. Et planè ad Deum est conversus, qui non aliquam spem quærit Seculi hujus. Rectè Antoninus Imp. *libr*.4. Tu artem quam didicisti, dilige, in eâque acquiesce. Reliquam vitę 821

partem ita exige, ut qui ex animo Dijs omnia tua commiſeris: neque ullius te hominis, vel ſervum vel Tyrannum conſtituas.

822 Cum Deo conſentit, qui laudat quæcunque is diſtribuit & ordinat.

823 Deus eſt in nobis, & nos eum nimis longè quærimus extrà. Nec Deus nec natura vacuum admittit: ſpolia cor tuum omnibus rebus mundanis, & tunc in illud intrabit ſponſus.

824 Per fidem Chriſtus habitat in nobis. *Coloſſ.* 1. Et qui Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus. *Rom.* 8. Qui hoc modo Chriſtum induit ab intrà cognitum, is habet in ſe vitam, lucem, Regnum Dei, nec quicquàm anxiè quæret extrà.

825 Summa tranquillitas eſt, ſi contenti ſimus eo, quod Cœlum nobis donat. *Perez. f.*37.*n.*205.

826 Cùm omnia ita cernam, uti ſunt, ſingulis utor pro ipſorum dignitate.

827 Adhære Chriſto, & eſto illi comes individuus, in omnibus exercitijs & affectionibus, tui cauſsâ ſuſceptis. Imitare pro poſſe Dominum tuum, junge tua illius, ut per hoc medium omnis tua actio Deo ſit grata. Non equidem, ut ſalus noſtra indigeat admini-

miniculo nostro; sed ne peccatis nostris obstaculo simus saluti, sine nostrâ ope paratæ.

Exempla vitæ nostri Salvatoris, luculentiùs exponunt omnes virtutes operibus; quàm alibi verbis. 828

Divina providentia, ac modus, quo suos diversis temporibus mirabiliter agit atque gubernat, nobis cognita esse debet. Quomodò nimirùm debiles confirmet, exerceat fortes, parvulos lactet, majoribus solidos cibos subministret: alios cōsoletur, alios probet: ac denique singulis sese accommodet, juxta profectus gradum ad quem pertingerunt. Ideoque qui ab illo roboratur, nihil propterea de seipso præsumat: cùm illa confirmatio sit cibus infirmorum, & indicium magnæ debilitatis. Nec is qui ab illo affligitur, animum abjicere debet: cùm sciat; Tentationem ut plurimùm, magni & fortis animi testimonium esse. 829

Regna, mutationesque Regnorum, propter Ecclesiam fiunt. Nascituro Christo, totum Imperium Romanum commovebatur, & Imperatorum maximus ad censum agendum sollicitabatur: tantùm filiam pauperculam, ex Nazareth, in Bethlehem ut acciret. Consilium Dei quis tum Mundanorum conjecturâ capiebat? 830

831 Climata quædam ardore nimio, alia frigiditate intolerabili exuruntur. Nulla est regio, ubi plures benedictiones effundat Deus, quàm in Europam, & ex quâ minus recipiat veræ gratiarum actionis. Inibi naturæ favores ita imprudenter & inhumanè distribuimus; ut inter abundantiam illam nihil obvium sit, quàm miseria & paupertas. Centesima pars hominum exugit reliquos, eorumque labores abligurit.

832 Non est plus roboris ad impediendum humanæ imbecillitati adscribendũ; quàm Divinæ omnipotentiæ, omnia bona in nobis perficientis. Cùm sit Philantropus ille Deus, ad liberaliter largiendum promptior, quàm nos simus ad accipiendum parati. Orandum ergò est cum Davide: Averte oculos ne videant vanitatem. *Psalm.* 118. ℣. 37. Qui fiduciam habet in Domino, ex toto corde suo, in omnibus vijs suis Deum cogitat; hujns gressus dirigit Deus.

833 Sabbathus requies fuit post creationem, & denotat quietem, seu tranquillitatem in statu naturali, hoc est, dũ quodlibet manet in statu eo, ad quem conditum fuit. Eam tranquillitatem amisit homo, per lapsum: ergò Legis Sabbathus non ampliùs spectat ad eum. Hicque proinde ritè mutatus fuit ab Ec-

ab Ecclesiâ primitivâ (Sp.S.lumine dotata) in Dominicam Diem, quâ Christus resurrexit: quæ fuit quies in opere redemptionis: In eâ nunc tanquàm novæ creaturæ requiescere debemus; hujusque quietis typus est Dominicus dies, ut sciamus omnem nostrã quietem non esse in naturâ, sed in Christo. Ergò qui Sabbathum colunt, sunt sub legis maledictione: volunt frui quiete naturæ primævæ, quam lapsu amiserunt.

Nos omnes mysticum sumus corpus, cujus caput est Christus. Exindè influxum, 834
sensum, motusque principium seu spiritus vivificationẽ, omnes accipere debemus. Si ejus non vivimus vitâ, jam mortuum & putridum est membrum; quod vermibus scatet, & alia vivit vitâ: quod proindè abscinditur; & morte interit maxumè creduli. Nõ capitis munia, membra alia obire debẽt. Vt facere voluit Adam: qui non cõtentus imagine seu participatione Divinâ, ipse voluit esse caput. Vnde obscurata in eo fuit illa imago, & vivere is incœpit vitâ animali, terrestri & carnali; solùm ipsi mansit anima vivens in carne, cujus operationes etiam nobilissimæ respiciunt corpus, & carnem, ejusque appetitus, Ergò novam creaturam nos esse decet, cujus caput sit Christus.

835 Quid ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? aut quid ſum cùm mihi benè eſt, niſi ſugens lac tuum: aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? *August.4. confeſſ.1.*

836 Regeneratio in nobis eſt Chriſtus inhabitans & regnans. Ea eſt fides, charitas, juſtitia; quæ ſe invicem ponè ſubſequuntur.

837 Magna eſt differentia inter peccata habere, & peccata perficere. Peccatis nulli carent Sancti: ſed ea Imperium obtinere non ſinunt.

838 Etiam hiſtoriæ Biblicæ ſunt myſteria & prophetiæ. Sic, quod Melchiſedeki non nominantur parentes; hoc auctor Epiſtolæ ad Hebræos accommodat ad Divinam nativitatem Chriſti. Sanè non melior videtur modus intelligendi prophetas, quàm ut omnia Dicta V. Teſtamenti, in novo vel explicata vel allegata, accuratiſſimè conſideremus; & ad eam normam, quâ inducta vel enodata, omnia reliqua interpretemur, quæ in Pſalmis, prophetis, &c. Optima ratio eſt illa, quam præeuntes Chriſtus atque Apoſtoli docent.

839 Tanta eſt Majeſtas S.S. Scripturæ, ut prophetiæ ſint Typi temporum futurorũ ſucceſſivè: nec ſufficit unam rem quæ prædicta fuit,

ctafuit, ſemel adimpleri. Sic Iohannes in ſpiritu & virtute Eliæ, præceſſit Chriſtum: & tamen Eliæ venturi mentio fit in Apocalypſi. *c.* 11. Sic fuit tempus Eliæ, quo non pluit Anni 3. & m. 6. 3. *Reg.* 17. *Iacob.* 5. hoc eſt 42. menſes: qui alibi vocantur dies 1260.

Litteras Naturæ hieroglyphicas eſſe, exindè colligere quimus; quia etiam vera inſomnia, ejusmodi imaginibus ſeſe inſinuant. 840

Mundanorum eſt, Chriſtiani miſeri, afflicti, interno tamen gaudio contenti; nobilitatem, libertatem, divitias, ſapientiam, &c. ridere. Et hoc idem ſcommna ab Epicuræis ſubinde paſſi ſunt Stoici. Vnde Horatius. 1. Satyr. 3. 841

—— dum tu quadrante levatum
Rex ibis —— ——

Et in eâ Satyrâ paſſim. At aptè magis Cicero. 3. *d. fin.* Sub Catonis perſonâ, talem deſcribit ſapientem; his verbis: Rectiùs enim appellabitur Rex, quàm Tarquinius, qui nec ſe, nec ſuos regere potuit; rectiùs magiſter populi, quàm Sulla. Rectiùs dives quàm Craſſus, qui niſi eguiſſet, nunquàm Euphratem nullâ belli causâ tranſire voluiſſet. Rectè etiam pulcher, rectè ſolus liber, rectè ſo-

lus invictus. Hæc qui non intelligit, ignorat mentem ab externis separare.

842 [redacted]

843 Roma spiritualis Babylon: Romanum Regnum (quatenus Apocalypticæ meretricis patitur frænum, atq; capistrum) mysticus Assur.

844 Quamprimùm corpus Christi, omnibus suis membris fuerit completum; tum Regnum veniet Dei æternum.

Multi sunt Typi Ecclesiæ Dei, ejusque Temporum atque periodorum. *Matth.* 8. Comparatur navi, quæ in absentia Christi (cùm putarent insidentes, sine illo se navigare posse) variè fluctibus doctrinarum agitatur; in quibus nulla est subsistentia vel quies,

quies, qui vento quocunque commoventur. Poſtea cùm clamâſſent pij, venit Iheſus noctis vigiliâ quartâ, ([redacted]) ſed reputabatur pro phantaſmate; nec tamen fluctus doctrinarum ceſſant, usque dum in navem intret: & tunc tranquillitas erit.

Parentes Chriſti admirabantur, cùm audirent Simeonem tam mira de Chriſto 846
prædicare. *Luc.* 2. ℣. 33 & tamen Maria ſcivit, quæ de eodem jam anteà ſibi Angelus denuntiârat. Non potuit ea ignorare Ioſeph, de quibus in ſomnis admonitus fuit: nihilominùs jam ſtupent ad Simeonis prophetiam. Tanta eſt cæcitas in hominibus circa prophetias: quas nec ſæpiùs repetitas intelligunt ſatis; & ignorant eo ipſo tempore cùm adimplentur.

Cabbaliſticum eſt: Angelus omnia ſecum habet; Angelico ac ſpirituali modo. 847
Imò totam mundi machinam in ſe complicat, & eſt quaſi omnia inferiora.

Lectori

Lectori S.

SCire te volo, Benevole Lector, Fasciculum hunc spiritualium florum, non à Theologo aliquo collectum nexumq; esse; qui ad normam acutissimarum nostri Seculi Disputationum, quasi ad libellam potuerit examinare singula verba. Sed cùm ei placuerit, inprimis legere primitivæ Ecclesiæ scriptores; & ex recentioribus, qui ad mores magis, quàm ad disputandi argutiam (quæ sanè in Timore Domini si fiat, nullo modo est negligenda) respexerunt; voluit is ea præsentim adnotare, quæ ad cordis immutationem peccatorumque tam manifestorum quàm occultorum detestationem facere censebantur. Idque in gratiam Seculi nostri Politicorum, qui ut olim Epicurus suâ philosophiâ tollere superstitionem (V. *Lucretium, libr.* 1.) Ita nunc ij consilijs humanis tribuere nimiùm & in corde suo, Deum vel ejus providentiam, & ita consequenter Religionem omnem, negare videntur. Interim.

Articu-

Articulos confeſſionis Eccleſiæ noſtratis collectarius præſupponit: fidem imprimis, & unicum ſalutis medium, meritum Chriſti. Sed tamen hoc exigere Chriſtum putat; ne noſtris peccatis fidem extinguamus, & ut mundum cum omnibus mundanis contemnamus. Hoc etenim verè eſt fidere Deo; ſi non ponamus ſpem in alio. Vale, & araneas deteſtans, apes imitans, pro omnibus à peccatorum via ſecedere volentibus, ora Deum.

FINIS.